



DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.





ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS III. PARS I.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIϽ IϽ CC LXVI.



PRAEFATIO.

Dicendum nobis fuit aliquoties de inhumano quorundam ingenio, qui, licet eam diſciplinam profiteantur, cuius auctor et magiſter perfectiſſimum fuit manſuetudinis exemplum, cuiusque ſuprema lege amor erga alios praecipitur, neminem tamen patiantur de quibusdam ſuae doctrinae capitibus aliter exiſtimare, maledictis inſectentur, probris omnibus vexent, inuiſos reddere ſtudeant magiſtratui, nec tolerandos eſſe doceant, ſed proſcribendos eiiciendosque e ciuitate, immo, ſi fieri poſſit, infra mortuos amandandos, a quibus de veritate diſſentiant, omnes. Quomodo enim non defenderemus auream cogitandi, dicendique libertatem, quam Deus nobis largitur, qua nihil ingenuo hominis animo dul-

cius, quamque toties omni studio exstinguere voluisse quosdam vidimus? Quis non horum conatibus obuiam eat? quis non humani generis iura tueatur? aut potius quis non omnibus precibus ab illis petat, vt recordentur, nihil veritatis Christianae doctorem miti et placido ingenio magis decere, nec laude modestiae atque humanitatis vllam aliam praeclarius sacerdotis nomen et personam ornare?

Fuit profecto inde a Constantini temporibus infelicissimis dissidiis semper adflicta et turbata misere res Christianorum, neque in vlla alia regione tot bella ciuilia arsisse constat, quot ob sententiarum dissimilitudinem in Christianorum regnis gesta sunt (*). Sed exstinctus nuper videbatur, in Germania certe, ille animorum ardor, tristissimis odii atque crudelitatis exemplis terribilis, cum principum sapientia, quorum aures querelis et sermonibus seditiosis non amplius patent, tum, qua ignorantiae et superstitionis tenebrae facillime dissipantur, litterarum luce. Pristinus iracundiae aestus deferbuisse iam-

(*) v. Lettres Persannes. T. I. lettr. 22.

iamque aetas omnia, iam ista dies mitigasse videbatur. Quid? quod non procul abesse boni viri laetabantur tranquillum illud ac beatum tempus, quod distractos nimium diu animos in pristinam concordiam reducturum esse sperabant. Sed extenuari spem nostram et prope euanescere videmus. Nescio enim, quo pacto inclusi aliquamdiu in venis ac visceribus reip. mali maturitas nunc omni vi erumpere gestiat. Quocunque oculos circumfero, minas, clamores, exsecrationes audio, nec paucas vrbes et scholas tumultu fremere intelligo. Cum olim Nilus inundaret tardius agros, causam Aegyptii, qui rei frumentariae timebant, ab edicto Theodosii repetebant, quo fluuio sacrificia anniuersaria reddere prohibebantur (*). Superstitio enim, rebus inanibus addicta, eorum animos oppresserat. Hac vero aetate, qua sapientiae studiis maior honor habetur, qua Philosophia hominum animos acuisse dicitur, quis credat, Russauium furore vulgi ideo expulsum fuisse, quia messis auaris votis non responderat? Nolo de iis regionibus aliquid dicere, in quibus superstitionis perpe-

 tua

(*) v. Sozomen. H. E. L. VII. c. 20.

tua comes, crudelitas, ferro et flammis armata, iam multos annos baccbata est. Quid vero de te iudicem, o mea Germania, quae eadem alacritate, qua olim turpe seruitutis Romanae iugum excussisti, illud nunc filiorum ceruicibus imponere conaris? Nonne durissima est in quibusdam prouinciis eorum conditio, qui aliter sentiant, ac magnus ille numerus, qui se ibi regnare arbitratur? nonne seueris legibus constricta est libertas illorum, qui non nomine, non doctrina, sed sententiis tantummodo paucis, a reliquis distant? Quid denique aut scribunt multi aut loquuntur aliud, quam vt omnes, qui se in verba maiorum iurare negent, quique non ideo omnes doctrinae sententias sibi probandas esse fateantur, quia patrum nostrorum suffragiis eas confirmatas esse videamus, magno ardore et clamore refutent, ignominiosis appellationibus lacerent, nihilque, quod eorum opiniones in summam inuidiam adducat, omittant? Nullum enim crimen facilius haeret, tutius dicendo augeri potest, acerbius odium excitat, rabiemque maiorem vulgi animis iniicit, quam quod ad religionem pertinere videtur. Samosatenses

tenses aquis calidis, quibus Eunomius, Arianus, vsus erat, lauari noluerunt, et cum pueri pila se exercerent, eaque per pedes asini, cui Lucius, qui etiam Ario fauere dicebatur, insidebat, forte volueretur, accenso rogo, eam per flammam traiecerunt atque purgarunt (*). *Quid enim plebs aut lubentius credit, aut defendit pertinacius, quam quod a sacerdotibus audiuit?*

Quae quidem cum ita sint, non ego sum ille ferreus, qui aliorum moerore non mouear, aut qui non lacrimis prosequar amicorum quorundam sortem, quibus summas molestias veritatis inueniendae et tradendae studium attulisse videtur. Quoties igitur res tulit, tenui, quae offerebat se, nec omisi occasionem, pacem et concordiam suadendi, vituperandique, quod vnice quibusdam intellexeram placere, genus disputandi vehemens et feruidum. Latuit fortasse idem sensus in compluribus aliis. quomodo enim credam, omnes ab humanitate desciuisse ad feritatem? Sed ego aperte hunc dolorem tuli, quodque cum aliis animo sentiebam, id magis, quam re-

 liqui,

(*) Theodoret. H. E. L. IV. c. 15.

liqui, vultu et lingua promtum habui. Ne vero idem mihi saepius dicendum esset, summam feci harum cogitationum, meamque de minuendis, aut si fieri possit, tollendis inimicitiis, ex opinionum dissimilitudine ortis, sententiam exponere constitui. Facile quidem praevideo, fore non paucos, quibus mea oratio parum probetur, quorumque calumniam ea minime effugiat. Sed conscientia optimae mentis et rectae voluntatis sustentatus omnem insidiae tempestatem paratissimo animo subibo. Ita enim mihi, quae opto et volo, semper feliciter contingant, vt ego nulla alia causa, quam singulari quadam humanitate, libertatis amore et misericordia commotus, hanc disputationem ingredior.

Iam primum silentio praeteribo immanitatem eorum, qui omnes, in quibus non easdem de diuinis rebus, aut potius de ritibus et caeremoniis, sententias animaduertunt, ferro et flammis absumere, fas esse censent. Horror animum subit, quoties Furorem in caede miserorum bacchantem mecum considero, et, quantum humani

sangui-

sanguinis ab iis fusum sit, cogito, qui se regnum Dei amplificare atque orbem terrarum felicem reddere velle, gloriabantur. Si crudelissima bella ob religionis doctrinam conflata, vrbes plurimas incensas atque euersas, tot millia hominum acerbissimis suppliciis enecata esse, recordor: si omne crudelitatis genus mecum reputo, in Hispania, Lusitania, Gallia, Italia ab iis iudicibus editum, qui animis hominum imperare, omnemque libertatem durissimis legibus opprimere audent: si inde ab aliquot seculis immani rabie in corpora miserorum saeuitum, atque quotannis tristissimum furoris spectaculum editum esse, eiusque foeditate oculos ita pascere homines cogito, vt frequens rogi et gladii adspectus sensum omnem humanitatis ex animis deleuisse videatur: si annuis feriis Tolosae illius diei memoriam renouari audio, quo olim saeua religio tria millia hominum interemit: quique vtinam aeuo excidat! si mecum considero, alios in squalidum carcerem coniici, fame atque verberibus tantum non necari, liberos parentibus eripi atque superstitione imbui, alios bonis paternis exui, omnibusque aerumnis affici:

 (*quod*

(quod enim aerumnarum genus non ab iis excogitari potest, qui nec principum vitae parcunt, regumque sanguine manus inficiunt? aut cui iucundius est, omnibus modis homines excruciare, quam fratribus Busenbaumii, iisdemque Clementis, Ravaillaci et Damieni fautoribus?) si nec post fata furorem quiescere audio, mortuis pulueris exigua munera subduci, nec communis omnium mortalium matris operimento exanima corpora obduci (*): *gelidum tremorem per ossa currere sentio, nec, qua orationis grauitate immanitas illa satis exprimi, nec quibus verborum lenociniis eadem mitigari possit, me intelligere fateor. Nostra verba, querelae, lacrimae nihil proficiunt ad misericordiam commouandam. Deus, Deus solus atroces animos flectere, suoque numine durissima eorum ingenia emollire potest, quos nec vocem naturae, detestantis hanc*

saeui-

(*) For Oh! the curst Ungodliness of Zeal! —
The sainted spirit petrify'd the Breast,
Deny'd the Charity of Dust, to spread
O'er Dust! a Charity their Dogs enjoy.

The Complaint. Night, 3. v. 166.

saevitiem, nec hominum lamentationes audire, tot tristissima exempla docuerunt (*).

Nos vero, o mei, illud operam demus, ut iisdem nostra lenitate, nostraque erga omnes alios humanitate ostendamus, nihil Deo magis placere, nihil Christianorum nomine dignius, nihil amabilius esse illo hominis animo, qui ea quemque sentire patiatur, quae vera esse sibi persuasit, atque, si eundem, examinata re diligentissime, in errore versari intelligat, non vi, minis, clamore illum adgrediatur, aut bonum virum esse neget, sed leni atque placida ratione in viam reducere studeat, nec, si frustra se hunc laborem

(*) Ah! perisse à jamais l'affreuse Politique,
Qui pretend sur les cœurs un pouvoir despotique,
Qui veut le fer en main convertir les mortels,
Qui du sang heretique arrose les Autels,
Et suivant un faux zele à l'interet pour guide,
Ne sert un Dieu de paix, que par des homicides.

Henriade. Ch. II.

borem suscepisse animaduertat; ideo vllo modo illi noceat: qui neminem eorum, in quibus amorem virtutis studiumque inuenit, ob opinionum diuersitatem odio prosequatur, aut inuisum plebi reddere conetur: qui non solum omnes homines cognatione inter se contineri existimet, cuius haec vis sit, vt se amare inuicem debeant atque iuuare, sed nullam quoque Christianorum sectam adeo recessisse censeat a diuini magistri doctrina, quin multa vera et bona habeat, nec esse vllam omnibus numeris perfectam, nullisque naeuis deformatam: qui Deum illo decretorio die non disputationum subtilitatem, nec quaestionum difficilium cognitionem, sed virtutis studium, vitaeque integritatem spectaturum in nobis esse, sibi persuadeat.

Haec haec est illa animi mansuetudo, quam eo magis sectari debemus omnes, qui Christianum nomen vsurpamus, quo luculentius eam nobis diuinus nostrae doctrinae magister et voce et exemplo commendauit. Summa celebratur in iis populis aequitas atque animi moderatio, quos barbaros vocamus, neque in Muhammetanorum historia ea furoris sacerrimi

cerrimi exempla exstant, quibus pleni sunt gentium, quae sibi politissimae omni doctrina, virtutibusque omnibus videntur, annales (*). *Quanto magis nos huic lenitati studeamus necesse est, qui non eos deos colamus, quibus humanae victimae offerri debeant? Vbi comburendos, eiiciendos vrbibus, vexandosque esse Christus docuit illos, qui a sua doctrina abhorrerent? aut quando vi adegit quenquam, vt eam amplecteretur? Nonne potius mitissime egit cum omnibus, a quibus illam contemni et sperni intelligebat? nonne tota vita mansuetudinem, patientiam, misericordiam cum oratione, tum exemplo suo commendauit? Quomodo ii in erudiendis hominum animis versati sunt, quos et ipse instituit, et magistros doctrinae in terra reliquit? Legimusne vnum diuinorum legatorum carnifice stipatum, altera manu gladium, altera crucem tenentem, vrbes ingressum esse? aut magistratus opem implorasse, et, vt quos sibi aduersari animaduerterent, punirentur, postulasse? Cum igitur nos eandem*

(*) Voltaire *Traité sur la Tolerance.* c. 4. 7. 8.

eandem doctrinam profiteamur, cum nostra mens tota ad imitationem virtutum, quorum exemplum praestantissimum in Christo enituit, dirigenda sit: quomodo credere possumus, illi nostrum furorem probari, aut, dum longissime nostra acerbitas ab illius mansuetudine abhorreat, quo iure nobis Christianorum nomen imponimus? Quae ergo, *verissime Lactantius* (*) *dicit*, aut vbi, aut qualis est pietas? nimirum apud eos, qui bella nesciunt, qui concordiam cum omnibus seruant, qui amici sunt inimicis, qui omnes homines pro fratribus diligunt, qui cohibere iram sciunt, omnemque animi furorem tranquilla moderatione lenire.

At eodem hoc amore, quem omnibus debeant, se commoueri aiunt, vt omnes quam felicissimos esse cupiant, et, quoniam sine veritate Christianae doctrinae nulla salus sperari possit, ideo se vel inuitis illis hanc tradere debere. Non dicam, absurdum esse et crudele, nos homunculos, qui, velut solstitialis herba, eodem fere, quo nati sumus,

(*) in Instit. L. V. c. 10.

sumus, die moriamur, immo qui nihil agamus, quod aeterna praemia mereatur, solium Dei Opt. Max. occupare velle, omnesque, qui, licet non Christi doctrinam nomine professi sint, vita tamen et moribus proxime ad illius praecepta accesserint, condemnare, coelestique aula eiicere, beatas sedes solis nobis, quorum multi minoribus quam illi, quos profanos appellamus, virtutibus conspicui sunt, attribuere, neque cogitare, nullum mortalem diuinam misericordiam animo et cogitatione comprehendere posse. Sed nolo contra illam opinionem, cuius vera origo a superbia humana, quae aliorum rebus secundis dolet, durissimaque iudicia amat, repetenda est, nunc copiosius disputare. Illud vnum ex vobis quaero, quomodo Furorem, sanguine adspersum, insepultis hominum aceruis insultantem, et face rogum accendentem, amabilissimam illam Deam existimare possitis, quae omnes blande suscipit, nemini nocet, omnes leniter et placide tractat, omnibus prodesse cupit? Putatisne, Amorem illos clamores tollere, illis hostilibus diris deuouere homines, quibus vos eos ex-

secrari

secrari audimus, quibus aeternam salutem comparare vos velle gloriamini? Quodsi vero hoc vestrum consilium est, dabo enim hoc, nec omnibus improbam sanguinis sitim tribuam: profecto nulla vi alias ad vestram sententiam adducetis. Non extorqueri potest assensus, elici ille debet, nemo animum vi coget illa amplecti, quae detestatur. sua sponte sententias suscipere solet. Quis vnquam adduxit hominem carcere, vinculis aut verberibus, vt vere amaret, quos nullo modo ferre poterat? Non magis vlla vi nobis persuadebitur, vera esse, quae falsa existimamus. Immo, quo vehementius animus exacerbatur, eo magis assensus impeditur. Odio deinde eum prosequi incipit, qui non blandi magistri, et veritatis studiosi amici, sed duri tyranni personam induisse videtur. Cuius verba modo laudauimus, etiam hac de re sapienter praecepit Lactantius (*): non est opus vi et iniuria, quia religio cogi non potest; verbis potius, quam verberibus, res agenda est, vt sit voluntas. — longe diuersa sunt carnificina et pietas, nec potest aut veritas

(*) l. c. c. 19.

veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate coniungi.

Hac vero, pergitis, lenitate numquam miseris errores eripiemus, numquam animos perniciosis opinionibus liberabimus. Quid mali, quaeso, in vos inde redundabit? Egistis ea, quae vos humanitas agere iussit: coarguistis errores: veritatis defensionem suscepistis. Si retineat amicus vester, quam semel concepit animo, sententiam, neque se ab illa discessurum esse vnquam profiteatur: quid amplius tumultuamini? Satisfecistis legibus, quas celebratus ille vobis amor imponit. Commoueri nunc misericordia debetis, non odio inflammari. Quis vnquam coecum hominem ideo puniendum esse censuit, quia curuum recto dignoscere, aut colorum varietatem discernere non potuit? Si a Deo hanc felicitatem consecuti estis, vt, quae vera sint, intelligatis, magnum profecto beneficium accepistis. Vbi vero ille Deus vos odio prosequi iussit alios, quibus ea beneficii magnitudo non contigit (*)? *Nihil hic vobis aliud agendum est*

(*) v. Montesquieu *l'Esprit des Loix.* T. III. l. 25. c. 13.

est atque dicendum, quam quod Augustinus praecepit, licet ipse saepissime huius admonitionis immemor turbulentusque concionator. Orate pro eis, quos redarguitis atque conuincitis (*). *Quod si vero vos cupiditate vestra, felicitatem hominum augendi, eo abripi patiamini, vt inimicitias indicatis iis, quos in vestram sententiam pertrahere frustra studuistis, vt eos inuidiosis nominibus oneretis, aut ferendos esse in rep. negetis, immo vt parentes in liberos, et fratres in sorores armetis, orbemque terrarum rapinis, caede, et incendiis impleatis, barbaros vos esse profitemur, solaque corporis forma a feritate bestiarum differre. Liber est hominis animus: nullius, nisi Dei, imperium agnoscit: de illius opinionibus iudicandi penes solum Deum potestas est: contra naturam agunt, qui nos sententiam profiteri cogunt, a qua animus discrepat. Vere et praeclare Tertullianus*, humani, *inquit*, iuris et naturalis poteſtatis eſt vnicuique, quod putauerit, colere, nec alii obeſt, aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt, cogere religionem,

(*) c. litt. Petil. L. I. c. 29.

nem, quae ſponte ſuſcipi debeat, non vi (*).

Haec in vniuerſum de humanitate dicta ſunto, qua omnes cuicunque doctrinae addictos, modo illa ne publicam quietem turbet, ne magiſtratibus repugnet, ne vi aut illicito modo ſectatores ſibi quaerat, ferendos eſſe in rep. cenſemus. Breuior erit et facilior diſputatio noſtra de concordia diuerſarum Chriſtianorum familiarum. Quas inimicitiis odiisque diſiunctas viuere, turpiusne ſit, an triſtius, neſcio. Eſtne credibile, illos, qui Deum patrem no-ſtrum *appellant, odio proſequi alios, qui Deum* noſtrum patrem *precibus colunt? aut ob ſubtiles quaeſtiones non componi poſſe turbas, quas nimium diu non emendandi animos, non corrigendi homines, ſed diſputandi ſtudium aluit? Quae quidem ſi nobiscum conſideramus, non poſſumus non eadem dicere, quae olim Conſtantinus Ario et Alexandro ſcripſit:* Examinemus, *inquit* (**), an

(*) ad Scapul. p. 69.

(**) v. Socrat. H. E. L. I. c. 7. ἐπισκεψώμεθα δὲ λογισμῷ μείζονι καὶ πλέονι συνέσει

an aequum sit, ob leues et inanes de verbis dissensiones, fratres cum fratribus certare, et venerabile concilium per vos, qui de rebus tam exiguis minimeque necessariis rixamini, impia dissensione diffidere. Plebeia haec sunt, magisque puerilem inscitiam, quam sacerdotum et prudentum virorum sapientiam decent. *Nam quae tandem est illa opinionum diuersitas, quae tantum animorum dissensum excitat? Nonne omnes Christiani vna voce et mente de iis doctrinae capitibus consentiunt, quibus spes nostra, salus, omnisque felicitas nititur? Omnes vnum Deum venerantur, atque in eo, tanquam sapientissimo, potentissimo, et aeterno numine omnem spem perpetuae felicitatis esse ponendam, illum omni cultu atque*

νέσει τὸ ῥηθὲν ἐνθυμηθῶμεν, ὅπερ ὀρθῶς ἔχει, δι' ὀλίγας καὶ ματαίας ῥημάτων ἐν ὑμῖν φιλονεικίας ἀδελφοὺς ἀδελφοῖς ἀντικεῖσθαι, καὶ τὸ τῆς συνόδου τίμιον ἀσεβεῖ διχονοίᾳ χωρίζεσθαι, δι' ἡμῶν, οἱ πρὸς ἀλλήλους ὑπὲρ μικρῶν οὕτω καὶ μηδαμῶς ἀναγκαίων φιλονεικοῦμεν. δημώδη ταῦτ' ἐστὶ καὶ παιδικαῖς ἀνοίαις ἁρμόττοντα μᾶλλον, ἢ τῇ τῶν ἱερέων καὶ φρονίμων ἀνδρῶν, συνέσει προσήκοντα.

atque amore prosequendum, praecipiunt: eundem Deum omnes docent et voluntatem suam et saluberrima vitae praecepta nobis per sacros scriptores declarasse, illisque omnes mortales morem gerere debere: eundem cultum omnes Christo praestant, quem verum Deum esse sibi persuadent, et cuius morte se in gratiam cum Deo reductos esse laetantur: omnes virtutis amorem commendant, et scelerum vitiorumque turpitudinem, tanquam Deo inuisam et Christiani hominis professione indignam, fugiendam esse monent: omnes sese post mortem e sanctissimi iudicis sententia aut poenas sceleribus propositas, aut praemia Christi sanguine parta, relaturos esse sperant: omnes, homines se mutuo amare debere, nec verbis solum, sed re ipsa se inuicem iuuare, nullo vero modo quietem turbare, praecipiunt. Potestne maior meliorque consensio de sententiis, quibus hominum felicitas continetur, cogitari? Cur igitur eos, qui haec doceant, non ferendos esse clamamus, si illos aut de interpretatione quorundam locorum, aut de publicis caeremoniis aliter statuere intelligimus? Animum

 nostrum

nostrum Deus spectat, et hunc sibi probari vult: pietatis et virtutis studium a nobis postulat: ideo nobis religionis doctrinam tradidit, vt felices essemus, atque hanc felicitatem et vitam ex virtutis praeceptis institutam, et amore erga alios consequeremur. Non ille, quam doctissimus, quam exercitati disputationum subtilitate, quaerit, nec ob ritus sacrorum aut poena quenquam afficiet, aut praemiis ornabit.

Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalae lippa propago:
Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto?
Hoc cedo vt admoueam templis, et farre litabo (*).

(Liceat enim nobis, animum nostrum iis versibus declarare, quibus vix sublimius quidquam veriusque Musae Romanae cecinerunt). Facili igitur opera illa discor-

(*) Pers. Sat. II. extr.

discordia deleri, omnisque dissensus tolli potest. Persuadeamus nobis, conuenire nobiscum reliquos de iis sententiis, quae naturam Christianae doctrinae constituunt: non ideo nefas esse, ab auitis opinionibus recedere, quia olim pueri iure iurando iis adstricti sumus: errare potuisse eos, quos auctores sequamur, nec illorum libris eam fidem et venerationem praestandam esse, quae solis diuinis libris debeatur: nos de multis acutius iudicare, nec pauca scripturae sacrae loca melius interpretari, quam maiores nostri: nec esse in examinanda sententia quaerendum, an antiqua illa sit, an a maioribus nobis tradita, an seculi XV. doctoribus probata, sed veritatem illius solam spectandam. Haec si cogitamus, quidni promti simus ad manus iungendas? Verum haec concordia conciliis, synodis et disputationibus, quibus aut maior animorum ardor accenditur, aut tota res ad subtilitatem recidit, minime obtineri posse videtur. Tu igitur, immortalis Deus, fac tuo numine, vt tandem ille felicissimus dies veniat, qui ex multorum annorum dissensione ad vnam societatem concordiamque reuocatos animos coniungat.

gat. Dele cruenta vestigia, quae terrae furor humanus impressit, atque odia, quibus inter se diffident Christiani, tolle. Communis omnium mortalium pater es; omnes amas: omnes beate et tranquille viuere cupis: omnibus eandem felicitatis magnitudinem parasti. Effice igitur, ut, quos olim una voce vnoque animo tuas laudes aeternis carminibus celebraturos esse, promisisti, tandem perpetua concordia, amicitia, amorisque conspiratione frui, nihilque tibi hac amica animorum consensione iucundius esse, sibi persuadere incipiant.



I. P. Vir-



I.

P. Virgilii Maronis Bucolica, Georgica et Aeneis, ex cod. Mediceo-Laurentiano descripta ab *Antonio Ambrogi*, Florentino, S. I. Italico versu reddita, adnotationibus atque variantibus lectionibus et antiquissimi codicis Vaticani picturis, pluribusque aliis veterum monimentis aere incisis, et Cl. virorum dissertationibus illustrata. *Tomus secundus.*

Romae excud. Io. Zempel, sumtibus Venantii Monaldini. 1764. Alph. 1. pl. 19. praef. et diss. pl. 7. fol. mai.

Iis, quae alio tempore de splendida *Ambrogii* miseria diximus, non opus est quidquam nunc addere. Satis enim luculenter nobis ostendisse videmur, nullam ex magnis, qui in hanc Virgilii editionem erogati fuerunt, sumtibus utilitatem sive in lecto-

 rem,

rem, siue in Auctorem redundare, quamvis illa omnes, quotquot sunt, veterum auctorum editiones magnifico splendore et augusta specie superet. Nam et editorem, leuiter tinctum antiquarum litterarum scientia, et Critices omnino imperitum, putamus vix cum Minellio, Farnabio, Iunckeroque comparari posse, quorum in illustrandis antiquis libris puerile fuit et ineptum studium, nec quem, praeter oculorum oblectationem, e libro, qui, si Virgilianos versus exceperis, nihil habeat eximium, lector fructum capere possit, nos intelligere fatemur. Largimur lubenter, quod nunquam negauimus, hoc etiam volumen, quod sex priores Aeneidos libros continet, et chartarum, et litterarum et imaginum luculenta elegantia oculos pascere, idemque fallere posse tempus, si quis otio abundet. Nam praeter alia ornamenta, vt Genium Romae in fronte libri, conspicimus imagines XXXXIV. Sed nonne plurima earum pars iam alibi exposita, ideoque praeter necessitatem nunc repetita est? Si recte meminimus XXXIII. picturae aliunde sumtae sunt, et ex codice Virgilii Vaticano p. 3. desumtae, vt tempestas, qua Troianorum naues

naues iactatae sunt: Aeneas et Achates p. 8.
nube tecti Tyrios adspicientes: Venus p. 47.
cum Cupidine colloquens: Dido et p. 170.
Aeneas in spelunca: Dido in rogo ia- p. 201.
cens: vestibulum orci: Taceo alia. p. 281.
Praebuit etiam Museum Florentinum p. 1.
gemmam, in qua conspiciuntur Iuno, Venus, Minerua cum Mercurio et Paride, iudice, nescio an sapiente, certe non oculis capto: aliamque, quae Cas- p. 5.
sandram ab Aiace violatam exhibet.
Ea gemma, in qua incendium Troiae, p. 54.
humerisque patrem auferentem Aeneam contemplamur, sumta est e Kircheriano Museo. Stoschius quoque et Monte- p. 22.
falconius praebuerunt Auctori, quibus suum opus ornaret, monimenta antiqua. Prae reliquis placuit gemma, in qua Iupiter, seuero vultu Mercurium mandatis instruens, conspicitur, nec, vnde illa sumta sit, meminimus. Addita quoque est huic volumini tabula, quae Aeneae nauigationem depingit.

E praefatione quid excerpamus, nihil inuenimus. Nam vbique sui similis est *Ambrogius*. Illud vnum tacere nolumus. Versus, quos imperfectos censuit Criticorum turba, quia non aliorum longitudinem exaequant, e Va-

nierii

nierii sententia perfectos se reddidisse scribit. Nempe audaciores fuerunt Critici quidam illis artificibus, qui, cum Apelles caput Veneris Coae ac superiora pectoris perfecisset, reliquis partibus relictis, manum tabulae, a summo artifice inchoatae, admouere nollent. Equidem lubenter fateor, me illis versibus imperfectis vehementer delectari, nec eos vim in animo meo exiguam exserere, qui, dum finem versus impatientius exspectat, atque in legendo properat, repente retinetur, nec se frustra retineri, paullo post intelligit. Quem non delectant illa;

IV, 360.

Desine meque tuis incendere teque querelis;
Italiam non sponte sequor. —

aut haec: VII, 454.

Respice ad haec, adsum dirarum ab sede sororum,
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem iuueni coniecit etc.

Fateor, id quod quisque intelligit, imperfectos esse hos versus, sed minus credo illos nobis placituros esse, si perfecti essent omnibus numeris. Relinquunt

quunt illi in animo nostro stimulum quendam, qui attentionem non parum acuit. Sed de his agemus alio loco fortasse copiosius. Redeo ad *Ambrogium* meum.

Praefixit ille, vt priori, ita etiam huic voluminí libellos quosdam, de quibus quid sentiendum sit, facile intelliget, qui *Ambrogii* ingenium et doctrinam cognouerit. Nam qui ipse puerilia amat et vulgaria, an iste aliud quidquam amabit in aliis? Primus libellus, cuius auctor est *Franc. Eugenius Guascus*, sic inscriptus est: *Veterum Italiae locorum, oppidorum, montium atque fluuiorum, quorum in P. Virgilii Aeneide fit mentio, alphabetica descriptio*. Ipse auctor plurimorum scriptorum enumerat nomina, qui locis et vrbibus Italiae descriptis puerorum studiis inseruierint. nam quis praeter hos sibi narrari cupiat, vbi sita fuerit Alba longa, vrbs an mons sit Aetna, aliaque de Baiis, Sabinis, Amyclis (male auctor dicit: *Amycla*) quae omnia hic ludimagister popello seuera fronte commemorat? Sed probabilem tamen sui consilii rationem sibi reddidisse visus est. Fecisse se putauit aliquid, quod esset operae pretium,

tium, *quoniam* alii *extra fines Italiae, nedum a Latio remoti scripserunt;* *Vnde*, pergit, *eos mirum non est modo vrbes, flumina, montes, ipsasque provincias de vna in aliam traduxisse: modo oppidorum insularumque multifarie inuersisse etimologiam.* e quo loco simul foeda huius hominis barbaries intelligi potest. Quodsi vero ieiunum huius libelli argumentum consideramus, quo meliorem tiro quisque sub septentrione natus scribere poterit: mirari profecto debemus, in Germania multo elegantius ea doceri, de quibus sat tenuiter ille scripsit, cui, (vtamur enim bellissima hominis oratione) „Romae „vitam degenti, in ipso scilicet vicissi-„tudinum Troiani ducis theatro, plu-„ries ipsas regiones atque vrbes veteris „Latii a Virgilio commemoratas collu-„strare, nec non Magnae Graeciae prae-„cipuas celebrioresque oculatim cir-„cumspicere plagas, commodum fuit.“ Vtinam potius oculis Latinae linguae scriptores legisset, exuissetque, quo nobis molestus est, orationis sordidum genus! Sequitur *de Aeneae in Italiam aduentu dissertatio Ant. Ambrogi.* Quis credat, Ambrogium nostrum cum viro

summo,

summo, Bocharto, in certamen descendere cupere? Nam, ne quis erret, hunc libellum eo animo scripsit, vt haberemus, quod responderi posset iis, quae Bochartus in disputatione: *an vnquam Aeneas fuerit in Italia?* dixit. Sed

Non tali auxilio, non defensoribus istis
Causa eget. —

Addamne praeterea quaedam de adnotationibus, quibus *Ambrogius* tot nitidas chartas misere maculauit? Exhibeamne exempla puerilis studii? Certe in Germania, qui ferulae adhuc subia- p. 2.
cent, narrati sibi patiuntur, Iunonem fuisse Saturni et Opis filiam, sororem et coniugem Iouis. His exponere apud p. 4. 9.
nos solet ludimagister, quis fuerit Aiax, 11. 18. 33.
Diomedes, Neptunus, Dardanus, Agamemnon, Vlysses. Hi quercum Ioui p. 155.
consecratam fuisse nesciunt, atque etiam de Parcis aliquid audire cupiunt. Ea- p. 3.
dem vero si interpretem Virgilii nobis explicare animaduertimus, quid dicamus? Aut quid iudicemus de *Ambrogio*, qui in splendida Virgilii editione docet, Naxum fuisse: *una delle Cicladi ferti-* p. 118.
lissima di vino e consecrata a Bacco, che ivi ritrovo Ariadne abbandonata da Teseo,

fio, oggi detta Nassa, quique etiam hoc sibi negotii datum esse credit, vt, quid Sirius sit, explicet: *La Canicola,*
p. 120. *che è una stella situata nella bocca del cane maggiore; la quale sorgendo nel Cielo suole essere accompagnata da grandissimi caldi.* Immo interdum non sine risu intellexiinus, Ambrogium sui oblitum mysteria, iam explicata, bis terue
p. 33. repetere. Non fuit illi satis, quis Achilles fuerit, semel dixisse. Bis inculcandam
p. 56. esse censuit lectoribus historiam, puero sexenni notam. — Lubet diuersam augurum sortem in diuersis regionibus mirari. In Germania Iunckerus chartam bibulam perdidit, illiusque inepto studio editi veterum auctorum libri vix hodie comparent. Italia videtur similibus magis chartas maximas pulcherrimasque conspurcari, atque, ne posteritas illud tempus ignoret, quo eiusmodi quisquiliae placuerint, sumtu, cura, et artificio prouidet.

II. Traité

II.

Traité des Monnoies & de la Jurisdiction de la Cour des Monnoies, en forme de Dictionnaire. — par *M. Abot de Bazinghen*, Conseiller-Commissaire en la Cour des Monnoies de Paris.

Parisiis apud Guillyn. T. I. Alph. 4. T. II. Alph. 4. pl. 20. 1764. 4.

Quam Cl. Hirschius operam Germaniae, eandem Galliae suae praestitit hoc opere edito *Bazinghenius*, vir, vt vndique apparet, industrius, grauis, et rei numariae bene peritus. quanquam, si recte iudicare velimus, nobis fatendum est, non solius Galliae finibus huius libri vtilitatem contineri, sed patere eam latius, insignemque ad rei numariae studium accessionem factam esse. Erunt quidem non pauci, qui minus indulsisse popularium studio, seculique mori Auctorem velint in ratione huius libri scribendi. Atque etiam nobis parum placere fatemur illam Gallorum, cuiusque doctrinae et artis praecepta *Lexicis* includendi, cupiditatem. Prae-

terea haec ratio non parum incommodi in hoc libro habere, sibi adiunctum videtur. Saepius enim aliquot tituli nobis perlegendi fuerunt, Auctoris de aliqua re sententiam cognituris, quam demum alio loco inuenimus, quem divinando nemo assequi potest. Quod si vero Auctor certa ratione res disposuisset, recto quamque partem ordine explicuisset, et ad suum quidque caput retulisset: melius consuluisset lectoribus, quorum patientia, variis titulis rei alicuius cognoscendae causa perlectis, procul dubio saepe fatigabitur. Neque deerant, quae tuto sequi potuisset, doctissimorum hominum exempla. nam nobis certe magis placet, quam *Boutteroue* (*) et *Le Blanc* (**) secuti sunt, ratio, multo facilior illa et opportunior. Sed, quoniam, quae semel facta sunt, mutari nequeunt, patiamur virum bonum popularium mores adamare, et, quid egerit, potius videamus.

Merito Auctor queritur, frustra consuli eos historicos, qui inde ab initio regni

(*) dans les *Recherches curieuses des Monnoies de France.*

(**) v. *Traité historique des Monnoies de France.*

regni Francici vsque ad Philippi Pulchri aetatem vixerunt, de re numaria. Hinc oriri illam rerum obscuritatem, multarumque ignorantiam. Ad duo inprimis capita redigendum esse hoc studium; horum alterum comprehendere partem numorum metallicam, seu materiam, vna cum omnibus, quae ad cudendos flandosque ab artifice numos pertineant: alterum complecti, quae e iuris doctrina repetenda sint, edicta principum, quibus cum ii, qui numis cudendis praesunt, tum magistratus ipsi teneantur: hinc nasci tertium caput, quod officia magistratuum tradat, cum in edictorum illorum obseruantia conseruanda, tum in gubernandis variis hominibus, suae potestati subditis. De materia paucos exposuisse, de iurisprudentia, vt ita dicamus, hac numaria neminem, quanquam le Blanc inter alios, quorum recensus instituitur, proxime ab Auctore abesse videtur. Ignorasse videtur Auctor *Pauli Petauii antiquariae supellectilis Portiunculam*, quam proposuit Sallengrius in *T. II. Nou. Thes. Antiqu. Rom.* et quae complures habet rariores numos, quos Franciae historiae studiosi interest cognoscere.

 Pri-

Primum igitur Auctor operam dedit, ut, quae ad materiam et fabricam nummorum pertinerent, colligeret, et officia eorum, qui manum iis cudendis admouent, exponeret. Deinde Iurisprudentiam nummorum ita complexus est, ut sub quoque titulo exhiberet edicta, cum vetera, tum noua, quibus res numaria in Gallia ordinata fuit, quibusque eum, qui nummis intersunt fabricandis, tum, qui his praesunt, legumque auctoritatem tueri debent, magistratus tenentur. Interdum tota edicta proposita sunt, interdum praecipua tantum argumenti capita inde excerpta. Sed tota ratio certis exemplis allatis plenius intelligetur.

p. 3-38. Verbum *Affinage* complectitur varios modos, quibus aurum, argentum, aes, ferrum, et plumbum purgetur Parisiis. Datur etiam ibi disputatio Hellotii, qua, quomodo Lugdunenses aurum argentumque purificent, ostenditur. Titulus *Balancier* habet leges, quibus artifices

p. 76-80. tenentur, qui libras conficiunt. Sub titulo: *Batteur d'or* omnis ars malleo in

p. 87 laminas extenuandi metalla, exponitur, non neglectis verbis, quibus quaeque artis pars appellatur: ut sub verbo: *Batteurs*

teurs d'or exhibentur leges et edicta, quae varia munera et officia horum artificum indicant. Id quod etiam factum est, vbi sub verbo *tirer l'or et l'argent* ars traditur ad fila redigendi argentum et aurum. Verbum *Bijoux*, quae ex legum auctoritate harum deliciarum artificibus obseruanda sint, narrat. Longam vidimus dari sub titulo *Cour des Mennoies* narrationem de iis, qui rei monetariae apud Romanos praefuerunt, quique primorum Francicae regum temporibus monetam curarunt, de mutationibus, quas hic ordo expertus est, et de magistratu, cui nunc in Gallia summa monetae cura commissa est. vbi Auctor locum, vbi consilia agitat et ius dicit, leges, munus, aliaque commemorat omnia, quae huc pertinent. Narrantur nomina magistratuum officialiumque et vrbes, in quibus officinae monetariae sunt. Sub titulo *Change* invenimus Montesquieii disputationem, quae in libro diuino de ingenio legum apparet, et tabulam duplicem, quarum altera rationem permutandae pecuniae in Anglia, altera in Belgio exhibet, simul enarratis legibus, quae ad homines haec negotia exercentes pertinent. Co-

T. II. p. 622-660.

p. 196. 115.

p. 198-292.

p. 135-175.

p. 318- piose sub verbo *Depart* traditur ars au-
337. rum ab argento separandi. Sub verbo
p. 360- *Dorour* varii modi inaurandi aliquid
-372. explicantur. Sub verbo *Ecu* omnes vi-
p. 385. cissitudines narrantur, quas hoc monetae
-389. genus inde a Ludouici VII. temporibus
expertum est. Varias accessiones na-
p. 403- ctus est titulus *Especes*, quo de vsu, aug-
436. mentatione et deminutione nummorum
agitur. Nam et ea addita sunt, quae
super hoc argumento in litteras retulit
Diction- du Four in opere, quo omnem erudi-
naire tionem complecti voluit Francia, et
Encyclo- excerpta sunt, quae de vsu monetae
pedique. disputauit *de Forbonney* in libro, qui
commerciorum rationem ostendit. Ver-
p. 437- bosiores reliquis sunt tituli *Essai* et *Mon-*
463. *noie.* Illo continentur omnia, quae
agi solent in pretio explorando nummo-
rum, additis iis, quae propria experien-
p. II. 49- tia Auctor cognouit. Alter ad libri
321. magnitudinem excreuit, collectis omni-
bus, quae Boutteroue, le Blanc et alii
dixerunt. Repetit Auctor disputationem
ab origine monetae apud Hebraeos,
Gallos, et Romanos: quae vterque po-
pulus in fabricandis nummis egerit, quos-
que illis praefecerit magistratus, comme-
morat. Mox primorum regum numos
perlu-

perlustrat, ad recentiora tempora transit, quas mutationes numorum pondus et valor subierit, exponit, atque edicta regum adfert. Tum Asiae et Europae monetas enumerat, quanquam quodque genus etiam peculiarem titulum nactum est, vbi valor illius indicatur. De Africa etiam atque America quae ab auctoribus fide dignis memoriae prodita sunt, collegit. Quos numos primariae vrbes Europae habeant, aut quomodo summam pecuniae concipiant, refert. Finem huic capiti imponit commemoratio officiorum, quae fabricatoribus numorum obseruanda sunt. — Plurima edicta habet titulus: *Orfevrerie*, P. II.
quae non possunt non iis, qui rem numa- p. 342-
riam curant, magni momenti videri. 455.

Ex iis, quae adhuc diximus, apparere existimamus, cum quid quaerendum sit in hoc libro, tum quomodo in rebus explicandis versatus sit Auctor. Neque praetereundum est, eum addidisse alia, quae vtilissimum hunc librum redderent. Primum enim tabulas conspicimus non paucas, quibus commemoratur omne numorum genus inde ab a. 1258. vsque ad a. 1726. cusorum, indicato illorum pondere et valore. Illas

ab a. 1358. vsque ad a. 1411. deduxit *Souchet de Bisseaux*: continuauit ab a. 1414. vsque ad a. 1689. *Le Blanc*: vnde noster Auctor filum pertexere coepit. Deinde etiam vtilissimis indicibus indicantur edicta, quibus res numaria in Gallia ordinata fuit.

Obseruauimus aliquoties, Auctorem nouae, quam veteris, historiae peritiorem esse. Vnde interdum errauit, vbi attingit rei numariae rationem apud Romanos. Nec raro peccauit in nominibus Germanicis numorum cum scribendis tum explicandis. Haesimus paullum, vbi legimus T. I. p. 505. FENIN. *petite monnoie de compte, qui est en usage pour tenir les livres à Naumbourg, ville Episcopale d'Allemagne.* Qui similia exempla cognoscere cupiat, legat, quae p. 104. sub titulo *Bazzo*, p. 375. *Dreyer*, p. 610. *Kopfstuck* dicuntur, compareteque titulum *Christine* p. 180. cum altero: *Chrystine* p. 301. Sed quis tam inhumanus et agrestis est, vt, si a Francico scriptore minus accurate barbara Theotiscae linguae verba scripta esse intellexerit, miretur, aut, quod peius est, rideat?

III. La

III.

La Philosophie de l'Histoire par feu *l'Abbé Bazin.*

Amstelodami, ap. Changuion, 1765. pl. 17. 8.

Multa promittere videbatur huius libri titulus, quae et delectare possent et iuuare lectorem, studio historiarum ita dedito, vt vsum sibi inde acquirat, rerum humanarum vanitatem cognoscat, neque solum hanc scientiam animi ingeniique iucundissimum pabulum, sed rerum quoque agendarum instrumentum habeat. Putauimus enim Auctorem et causas rerum gestarum explicuisse, et correxisse, quae parum certa essent; aliaque nondum satis confirmata argumentis muniuisse, aut super quibusdam factis philosophatum esse, salubriaque elicuisse praecepta ex eorum prudenti consideratione, aut liberius de multorum exposuisse principum moribus, quam aut timiditas aut adulatio aliorum fecit: vno verbo, Philosophum nobis finximus, qui, relicta annalium scriptori dierum, annorum, rerumque gestarum narratione, ipsas res animo contempla-

templaretur, deque iis nobiſcum diſputaret. Sed perlectis capitibus LIII. (nam in tot capita liber deſcriptus eſt) nihil inuenimus, quod noſtrae ſpei ſatisfaceret, quod magni momenti eſſet, aut Auctorem prudenter et acute de rebus iudicaſſe oſtenderet. Immo vix intelleximus, quomodo factum ſit, vt titulus magnificus his nugis imponeretur, niſi quod in prioribus ſex capitibus egregie ſibi philoſophari procul dubio Auctor viſus eſt. Nam poſteaquam ſat
p. 1. ieiune oſtendit, id quod optimus Hollmannus inter noſtrates copioſiſſime docuit, non eandem eſſe illius, quam incolimus, terrae faciem, quae olim, multiſque locis nunc eſſe terram, vbi antea fuerit aqua, (vbi etiam dicit, cornua Ammonis, alioſque, qui varias animalium figuras mentiuntur, lapides ſibi videri foſſilia terreſtria, conchasque habitatas fuiſſe a lacuum ciuibus, illos vero lacus terrae motibus euanuiſſe:) tranſit ad varia genera hominum, qui quatuor orbis partes incolant. Quorum diuer-
p. 5. ſam formam, corporumque et coloris diuerſitatem nullam aliam ob cauſam verboſe enarrat, quam vt eorum originem non ab vno auctore Adamo repeten-
dam

dam esse pateat. Immo etiam assentitur iis, qui quaedam hominum genera, aut animalium, quae similia essent hominibus, omnino periisse suspicantur, atque, Satyros vere aliquando fuisse, sibi persuadet. p. 7.
In Cap. III. pollicetur, se de antiquitate nationum acturum esse, sed quid effecerit, hercle! non video. Attamen, si attendamus, cur Asiae populos seculorum multorum seriem iactare dicat, et cur hanc opinionem non tam examinare, quam confirmare laboret: quid spectauerit, neminem latere potest. Posteaquam permultum dixit temporis requiri, priusquam aliqua natio vnam quasi societatem ineat, potentiamque et sapientiam nanciscatur: repente relicta, quam inchoaverat, disputatione, in cap. IV. quam *omnes* populi sui animi cognitionem habuerint, antiquissimis temporibus, quaerit. Eam, respondet, habuerunt, quam hodie, qui ruri degunt, priusquam doctrina Christiana erudiantur; immo quam etiam post hanc institutionem habent. Confusa horum est scientia, nec ii vnquam, quid sciant, examinant. Plato fuit primus, qui de animo tanquam spiritu loqueretur. Non meliora sunt, quae in proximo capite traduntur. Progreditur p. 10. p. 13.

p. 15. diter enim Auctor ad primorum populorum religionem explicandam, quos omnes dicit similes fuisse incolis Africae, et Americae, qui nullum Deum esse opinentur i. e. nullum numen aeternum, summum et vnicum esse sciant. Tum
p. 23. communes quasdam de rebus, quae sensibus subiectae, sententias, errores et ritus antiquissimos populos habuisse ostendit. Huc refert cultum solis et serpentum, huc oracula, huc opiniones de origine boni et mali, alia. His igitur in capitibus certe speciem Philosophi Auctor prae se tulit, quanquam pauca dixit, quae non ab aliis dicta esse omnes sciant. Quid vero iudicemus de reliquis? De populis, qui feri appellantur, de America, de Theocratia, de Chaldaeis, de Babyloniis, de Syris, de Phoenicibus, de Scythia, Arabia, India, Sina, Egypto loquitur, neque quidquam aliud agit, quam vt, aut quae vbique leguntur, repetat, aut se de multis aliter cogitare ostendat, quam omne reliquum
p. 29. mortalium genus. Incolas Caffreriae et Canadae rustica plebe in nostris regionibus longe superiores esse dicit, atque feros in America populos multum sapientia praestare rusticis nostris.

Ameri-

Americanos a reliquo mortalium genere p. 37.
diuersos non eandem cum caeteris hominibus originem habuisse indicat. Omnes p. 41.
fere populos praeter Sinenses theocratiae dicit subditos fuisse. Per theocratiam vero imperium sacerdotum intelligit, solosque Sinenses sacerdotes reges nunquam habuisse gloriatur. Omnium vero clarissime, qualis sit, ostendit Auctor in cap. X. *de Chaldaeis.* Nihil hic enim aliud agit, quam vt, totum orbem illo diluuio, cuius fit in libris Mosis mentio, submersum fuisse, neget. Cui opinioni vt probabilitatis speciem conciliaret, disputasse videtur ea, quae in cap. III. de lento eruditionis progressu dicta sunt. Admodum igitur tarde ingenium humanum, nec, nisi post plurimos annos, doctrinam, veritatis et artium cognitionem sibi acquirere, inquit. Iam cum Chaldaei statim post illud diluuium eruditione varia maxime excellerent, quomodo, quaerit, hoc fieri potuit, nisi eorum terra omnino expers fuisset illius tempestatis? Praeterea etiam p. 55.
se eo Philosophum esse ostendit, dum, quae Herodotus de Babyloniis dicit, quorum vxores peregrinorum amorem non aspernari debebant, aut Strabo de

Persis,

Perſis, mâtres in matrimonium ducen-
tibus, aut Sextus Empiricus de eorum
erga pueros amore, vera eſſe negat.
A fabulis, inquit, nobis caueamus. Fa-
bulas vero cenſere videtur omnia, quae
ſibi minus placent. Ad fabulas refert,
quae Herodotus de Cyro narrat, et Cy-
ropaediam cum Telemacho Fenelonia-
p. 75. no comparat. In hiſtoria Abrahami,
a ſacris ſcriptoribus memoriae prodita,
quaedam ſibi obſeruaſſe viſus eſt, quae,
ſi in quocunque alio libro reperiren-
tur, non parum difficultatis habitura eſſe
cenſet: Nomen *Abraham* Indicum eſ-
ſe: ſacerdotes Indicos *Brames* et *Brach-
manes* appellari, multaque inſtituta eo-
rum hoc nomen ſpectare: contra in
Aſia verſus occidentem nullam vnquam
Societatem Abrahamicam fuiſſe: nul-
lum ritum hoc nomen firmare. Sed
quoniam, pergit, in libris Iudaeorum
Abrahamus auctor Hebraeorum dicitur,
nos haec vera exiſtimare oportet. Sem-
per enim Auctor, quoties eiusmodi ali-
quid protulit, manibus compoſitis ve-
p. 77. niam orat ſacerdotes. Sic vbi, quae
dubiae fidei in Abrahami hiſtoria vide-
rentur, verboſe expoſuit, omnia, in-
quit, in Hebraeorum hiſtoria mirabi-
lia

lia sunt: nos vero haec aliaque prodigia credimus. Immo alio loco multis p. 45
verbis profitetur, se omnia credere, quae
ecclesia probet, atque, vt specimen simul
edat probitatis, Iulianum scribit sapienter a Cyrillo refutatum esse, eumque
Cyrillum magnum et moderatum appellat. quanquam nos quomodo isti haec
laus tribui possit, non videmus. Sed
quis credat, ex animo haec aliaque scripsisse Auctorem. Videtur ille mihi ad
eos pertinere, qui, posteaquam varia
dixerunt, quibus sacrae scripturae auctoritatem infirmari suspicantur, eaque
omnia verbose exposuerunt, repente rem
relinquunt, nihilque aliud addunt longae orationi, quam se omnia vera censere, quae ecclesia tradat. Cur igitur
illa protulisti? Mirari se, Auctor dixe- p. 101.
rat, quomodo factum sit, vt nihil de
prodigioso inter Hebraeos et Egyptios,
mari submersos, certamine legatur apud
Eratosthenem, Manethonem, Herodotum, qui omnia prodigia alia narret,
ipsi ab Egyptis relata. Sed quomodo
putas, Auctorem hunc scrupulum, quem
antea animo lectoris iniecit, eximere?
Procul, inquit, dubio Deus noluit ore
profano nobis rem diuinam commemorari.

rari. Estne credibile, serio hoc Auctorem dixisse? Non placet nobis illorum acerbitas, qui scriptoribus consilium statim malum, animumque perversum tribuunt. Sed si totum librum examino, si inprimis ardorem cogito, quo, diluuium illud Noaiticum minime totum orbem afflixisse, negat, si quae contra multa historiae capita, a sacris scriptoribus relata, disputet, perpendo, comparoque ea, quae de miraculis dicit, et inprimis de Hebraeorum crudelitate, quae se diuina auctoritate tueatur, erga populos, a quibus numquam laesi sint: quid de animo Auctoris iudicem, probe
p. 157. intelligo. Forte hoc clarius apparebit, si, quae de Iudaeis dixit, repetamus.
p. 176. Vix enim operae pretium est, quae inde a cap. XXIV. traduntur a Philosopho nostro, indicare. Loquitur de Graecorum ingeniis et litteris, de legislatoribus eorum, Minoe et Orpheo, de familiis Philosophorum, de Zaleuco, de Baccho, de Ouidii carmine, quo rerum in alias formas mutationes cecinit, de cultu imaginum et statuarum, de oraculis, de Sibyllis, de templis, de magia, de victimis humanis, de mysteriis Eleusinis, atque ita loquitur, vt solent in Germania *Philosophiae Magi-*

Magistri. Sed inde a cap. XXXVIII. p. 185.
paullo maiora sibi cecinisse videtur.
Nam ibi ad Hebraeorum historiam
transit. Quod ad Iudaeos igitur attinet,
dicit, eos ante Sauli tempora parum valuisse potentia, similesque fuisse vagantibus in desertis regionibus Arabibus, neque probabile videri, tot habuisse milites Saulum in proelio contra Ammonitos,
quot a sacro scriptore commemorentur: p. 186.
sed se nolle, addit, fidem derogare libris, quos venerari omnes debeant. Mox alia profert, quae in historia Hebraeorum, in Egypto versantium, immensum eruditorum hominum numerum incredibilia censuisse profitetur, et, co-
piose his enarratis, vnum hoc responde- p. 189.
ri posse ait: Deus ita voluit, ecclesia haec vera censet, nos quoque ita censere oportet. Tum Mosen ita considerat, vt, diuino auxilio sustentatum hominem, Deique ministrum omnino obliuiscatur, solum populi ducem contempletur, ideoque illum et mediocris ingenii hominem, et imperitum imperatorem fuisse, praeterea inhuma-
num, crudelem et sanguinis caedisque p. 192.
cupidum: nec sapientis legislatoris nomen mereri, siue ignorata, siue occul-

tata, quae Egyptiis, Persis, Indis, Phoenicibus cognita fuerit; doctrina de immortalitate animi, de poenis et praemiis post mortem, qua facillime homines a vitiis retineantur. Id quod iam in cap. XXVI. attigit, vbi immortalitatem animi Iudaeos latuisse docuit. Sed omnia haec dubia euanescere, si Mosen nihil egisse recordemur, nisi iussu Dei. His dictis, numerum Hebraeorum sibi incredibilem videri fatetur, de crudelitate eorum erga victos populos iterum loquitur, multaque addit,
p. 197. quae Auctoris animum indicant: vt, vbi de meretrice, quae in oppugnatione Ierichuntis speculatores admiserat, et in reliquorum caede seruata fuerat, loquitur (*). Pergit in cap. XLII. omnia enarrare, quae Iudaeos semper saeuos, impios, humiles et seruos fuisse ostendere videantur, et in cap. sequenti maxime operam dare videtur, vt prophetarum Iudaicorum auctoritatem infirmet, licet tam astuto et latenti modo hoc

(*) *A l'egard de cette femme, que la vulgate appelle meretrix, apparemment elle mena depuis une vie plus honnete, puis qu'elle fut une ayeule de David & même du Sauveur du monde.*

hoc faciat, vt nihil ſupra. Ex ipſis p. 217.
Iudaeorum precibus, e Dauidis carminibus apparere dicit, eos fuiſſe ſanguinis et voluptatum cupidos: magis enim mortem, quam emendationem ſcelerati precari, nec niſi terreſtria bona Deum orare. De Ioſepho, Hiſtorico, non admodum praeclare ſentire videtur Auctor, et cur in cap. XLVII. tot argumentis oſtendere laborauerit, ſacros ſcriptores vulgi opinionibus inſeruiiſſe in popularibus erroribus adoptandis, alii iudicent. Hoc loco etiam dicit, omnes, morbo ſacro afflictos, daemoniacos appellatos fuiſſe. Poſteaquam in cap. XLVIII. de geniis et daemonibus diſputauit, quorum cognitionem putat Iudaeos latuiſſe vsque ad tempus captiuitatis Babylonicae, eamque hauſtam eſſe a Perſis, qui eandem a Zoroaſtre acceperint: in cap. XLIX. oſtendere ſtudet, Iudaeos artes et litteras ab aliis populis didiciſſe, inprimis a Graecis; nullum vero populum didiciſſe quidquam a Iudaeis.

Haec ſunt illa capita, in quibus procul dubio valde ſibi philoſophatus eſſe Auctor videtur. Sed quid dixit, quod non ab aliis dictum ſit, et a multis refutatum?

futatum? Nos certe, licet multa inuenerimus falsa, nec pauca improba, nihil tamen inuenimus, quod non a similibus Philosopho huic scriptoribus dictum esse recordaremur. Nunciauit nobis amicus e Gallia, vbique *Voltarium* huius libelli auctorem existimari. Fateor, me ingemuisse paullum, hoc nuncio accepto, nec doluisse parum, diuini ingenii virum, dum, quaecunque contra sacrorum librorum auctoritatem dixit, colligere et quasi corpus quoddam impiarum opinionum conficere voluit, hac re parum famae sui nominis consuluisse. Nam si etiam obliuiscar, improbe haec omnia dicta esse, si, nulla religionis ratione habita, librum examinem: nihil tamen noui video allatum, aliorumque opiniones, quorum falsitas vel mediocriter litteris tinctum et historiae gnarum latere nequit, repetitas esse. Quid vero est, quod ingenii Voltariani acumine dignum sit? quid, quod deceat virum, a quo, singulari naturae fauore sustentato, praestantissimo ingenio ornato, vsu rerum instructo, tot libris lectis, tot rebus cognitis, longe meliora sperare nostro iure possumus, immo qui, si etiam improbus

bus esse velit, certe ingeniosius et acutius haec agere debeat, atque etiam hac parte a reliqua mortalium faece recedere. Neque tamen negare possum, omnia fere, quae in hoc libro dicta sunt, in aliis Voltarii scriptis legi. Si quis volumen VIII. operum Voltarii euoluerit (*), quaeque ibi de Iudaeis narrantur, cum hoc libello comparauerit, amicissime vtrumque auctorem conspirare videbit. Immo alterum alter compilasse videtur, nec solum Bazinus omnes opiniones Voltarii, quo etiam referri potest locus Voltarii de meretrice (**), descripsit, sed interdum etiam verba retinuit (***). Vtinam mihi aliquis persuadere

(*) *Melanges de Poesies, de litterature, d'Histoire & de Philosophie.* c. XII. p. 53. ed. Dresd.

(**) Ibid. p. 55. *Ils s'emparerent ensuite dans le même pays de la ville de Jericho; mais ayant voué les habitans de cette ville à l'anatheme, ils massacrèrent tout, iusqu'aux filles mêmes & ne pardonnèrent, qu'à une Courtisane, nommée Raab, qui les avoit aidès à surprendre la ville.*

(***) compara Bazin. p. 193. *Cette objection* — cum Voltar. p. 64. *leur legislateur* — Bazin. p. 295. *Ainsi les Juifs*

ſuadere poſſet, Bazinum aliquem huius libelli auctorem eſſe, nec Voltarium, tanquam effoetum ſenio, illa e libris ſuis excerpere atque lectoribus iterum venditare, quae ſi nunquam dixiſſet, amabilior nunc eſſet iucundiorque toti mortalium generi.

IV.

Sylloge Noua Epiſtolarum varii argumenti.

Norimbergae, impenſ. hered. Felſeckeri. Vol. I. II. III. IV. a. 1760 — 1764. 8.

In decem libros deſcripta eſt collectio haec epiſtolarum, quarum edendarum laudabile negotium in ſe ſuſcepit Cl. *Vhlius*, de pluribus doctorum virorum libris vulgatis, cum de litteris, tum de memoria eorum, quorum famam propagauit et nomen, bene meritus. Edidit vero epiſtolas clariſſimorum virorum,

Juifs — cum Voltar. p. 62. *les Juifs toujours* — Bazin p. 243. *Il eſt donc indubitable* — cum Volt. p. 65. quae Bazin. habet p. 3. vide ap. Voltar. in Diſſertat. *ſur les changemens arrivées, dans nôtre globe*, T. V. p. 49.

rum, quarum lectio iucundiſſime animum noſtrum affecit, cum, quoniam iucundum erat, familiariter loquentes audire viros doctiſſimos, tum, quia mira eſt in his litteris rerum varietas. Quid? quod in aliis elegantia placuit et lepor, in aliis ineptiarum aliquis amor et *lingua profeſſoria* non potuit non oblectare animum.

Quis non cum voluptate ſumma legat litteras a Theoph. Sigfr. Bayero ad Io. Matth. Geſnerum datas, quas *primus* liber continet? Sunt enim iucundiſſimae lectu, ſunt plenae facetiarum, affluunt leporibus, quaedam etiam nonnulla doctrinae capita tractant. Nobis non adeo diſplicet viri iudicium p. 10. de Euſtathio, quem dicit ridicule admodum et tanquam paedagogum, ſine ingenio paſſim, quod in animum veniret, praecepiſſe, illique praefert ſcholia parua, quae Didymi nomen prae ſe ferunt, vt omnino male illum iudicaſſe dicam. Equidem ideo Euſtathium magni facio, quia illi multorum veterum poetarum, quorum opera interierunt, verſus debemus. quae de verborum cum origine tum ſignificatu diſputat, plerumque ridicula ſunt. de arte poetae

tum illum bene praecipere memini, quoties probabilem, quem sequeretur, auctorem nactus est, admissis tamen non paucis ineptiis. Haec mea est de Eustathio sententia. Quomodo vero reticeam Bayeri de Germanis iudicium, quod quam verum sit, populares mei
p. 11. videant? Posteaquam enim dixit de *Miscellaneis Lipsiensibus*, se malle, nullum eiusmodi librum exstare, *duo sunt* addit, *Germanorum vitia, primum quod scriptillandi de quauis inanissima re morbo laborant: alterum, quod, cum scribunt, passim sine omni cura, retractatione aut imitatione maiorum scribunt.* Sed hanc seueritatem paullo post multae facetiae exhilarant. —
p. 28. Qui Heumanno nunc non fauent, (multos autem non fauere ideo constat, quia, quae vera censuit, scripsit) reperire possunt in Ep. 8. quaedam, quibus vtantur deinde in libellis suis Anti-Heumannianis. Vir enim *vehemens, pugnax, gloriosus* ibi appella-
p. 36. tur. — Sequuntur litterae Petri Burmanni, (*quem meum* Burmannum esse statim intellexi, quia pro more suo dixit; *Si quas ad patruum meum scripserit*
p. 39. *La Crozius*, mihi *latet.* Atque etiam dubi-

dubitantem facile confirmauerunt illa: *si quid parentis mei notata exemplari illi, quod aliquando apud me vidisti, tibi vsui futura existimes, iubeas etc.)* iisque additae sunt litterae Bynkershoekii ad Heineccium et alios, La Crozii, Engelhardi, qui de philosophia sua multa scribit, Graeuii, Abrah. Gronouii, Doruillii, qui praeter alia fatetur Bur- p. 95.
mannum I. parum Graece doctum fuisse, et alio loco haec valde digna Critico scribit: *Traiectinum Thrasonem* p. 99.
facile despexerim, nec non Lipsiensis asini vernaculum ruditum. Longa est epi- p. 107-
stola Alphonsi des Vignoles, continet- 155.
que multa, quae ad Fastos Consulares pertinent.

Secundus liber habet epistolas Gisberti Cuperi ad Almelouenium et Io. Alb. Fabricium datas. Sunt omnes ar- p. 208-
gumenti Critici, tractantque aut capita 214.
quaedam antiquae doctrinae, vt de le- p. 341.
ctis veterum, de poculis antiquis, de p. 382.
fascibus et securibus, Consulum insignibus, de cruce, quam in coelo Constantinus sibi vidisse visus est, (somnians procul dubio oculis apertis, aut potius piam, vt olim homines dicere solebant,

 fraudem

fraudem moliens) aut de locis veterum scriptorum agunt.

p. 419. In *tertio* libro nobis placuerunt litterae Beuerlandi, qui Cocceianorum et Voetianorum tumultus in Belgio *βατραχομυομαχίαν* appellat, alioque loco
p. 420. narrat: Vossium, cum Decanus Vindesoriensis illum proximum morti ad S. coenam inuitasset, dixisse: *doceto, quomodo possim meos colonos impellere ad soluendas pensiones suas. hoc facito.*
p. 430. Mirati sumus paullum, cum legeremus, quae Beuerlandus ad Frid. Spanhemium scripsit: *Cum vndique cingor a tribunis plebis, qui libellos et sermones meos in sequiorem interpretantur sensum, totamque in me incitant turbae viciniam, constitui dictionum in Fabro omissarum calamum contexere.* Examinauimus enim paullum nosmet ipsi, et an tale vnquam consilium capturi essemus, perpendimus. Quid tandem nos constituisse quaeris? nunquam nos
p. 441. idem facturos esse. Nec displicuit Sam. Crellii epistola, ob animi moderationem, quam erga eos praefert, qui aliter sentiant. Praeter alia enim haec scribit ad Ioach. Langium: *Vides meam charitatem Vnitariam tua Trinitaria*

(nam

(nam antea aeternae post mortem felicitatis aliter etiam sentientes de quibusdam quoque participes fore dixerat Crellius) *longe esse maiorem, nam tu omnibus Vnitariis salutem aeternam abiudicas. — Ne ipsi condemnemur, condemnare alios prohibemur. Sed vobis claues mortis et vitae datae non sunt.* (Multi tamen eiusmodi dii clauigeri sibi videntur.) *Nouimus eum, qui nos saluare et damnare potis est. Plus valetis, cum in sphaera actiuitatis vestrae versamur, temporariis persecutionibus, exsiliis, conuitiorum plaustris, quibus in nos effusis efficitis, vt auditorum vestrorum animi a nobis auertantur, nos odio habeant cane peius et angue — Certe et ego errare te puto: non tamen ideo hostem veritatis appellabo* etc. Habet illa epistola plura alia, quae digna lectu sunt, immo hac tempestate necessaria. Nos certe vltima verba addemus: *Vale et charitatem Christianam veritati tuae, i. e. libris tuis symbolicis infinite praefer.* Nonne haec anno cIↃ IↃ CCLXV. scripta esse videntur ad quoscunque, quorum interest haec etiam atque etiam perpendere. — Leuis error, sed error tamen commissus est p. 448. vbi Cuperi,

cuius

cuius litteras reliqua libri pars habet, epiſtola non ad Fabricium miſſa eſt, vt titulus praefert, ſed ad Cellarium, id quod illam legenti apparebit.

p. 628. *Quartum* librum ornant epiſtolae Leibnitii, vnde etiam intelleximus, Leibnitium, eorum numero adſcriptum, qui veteres auctores *in vſum Delphini* ediderunt, Martianum Capellam ſibi explicandum ſumſiſſe. Meminimus, nos videre in bibliotheca regia Hanouerana, quae ad hunc auctorem illuſtrandum Leibnitius notauerat. Sed erant profecto illa non magni pretii, nec poterant vllo modo cuiquam valde placere. Inuiti legimus, quae placendi

p. 641. aut adulandi ſtudium Leibnitio extorſit, verba ad Huetium: *Id enim fateor, tametſi neque ingenium neque doctrinam mihi arrogam, diligentiae tamen laudem aliquando apud aequos cenſores conſecutum. Et quid aliud exſpectes a Germano, cui nationi inter animi dotes ſola laborioſitas relicta eſt?* quaſi non ipſe Leibnitius ſuo exemplo oſtendiſſet, alia quoque efficere poſſe Germanos, quam quae laboris patientiam tantummodo poſtulant, non ingenii acumen. Diſplicet oratio viri magni vehementer,

hementer, indignaque videtur animi magnitudine, quam liberalis conſcientia virium bene decet. Eorum cauſa, p. 652. qui ſe Leibnitianae philoſophiae ope omnia efficere poſſe exiſtimant, aurea Philoſophi ſummi verba repetere lubet: *vnus hiſtoriae pariter ac criticae artis vſus eſt neceſſarius ad ſtabiliendam religionis veritatem.*

Omnium iucundiſſimus nobis fuit liber *quintus*. Hic continet Quirini atque Geſneri epiſtolas. In iis amamus humanitatem amabilem, qua eruditorum in Italia nuper princeps ita excelluit, vt huic virtuti non magis, quam doctrinae et ingenio immortalitatem ſuam nomen Quirinianum debeat: in his mirifice nos delectat ſumma elegantia, qua Geſnerus ita blanditur Quirini auribus, nihil vt ſuauius dici poſſit.

In *ſexto* libro Arnoldi Eckhardi, Abbatis Molani, et Leibnitii epiſtolae proponuntur. Nempe Leibnitius ſibi Carteſii rationem parum probari dixerat, et Archimedem illi praetulerat. Hinc amicae concertationes ortae, quas hae litterae continent: in quibus inprimis argumentum, quo, Deum eſſe, Carteſius oſtenderat, examinatur. Ego il-

las

las metaphyficarum elegantiarum fpectatoribus laudandas relinquo.

Epiftolae *feptimi* libri etiam mathematici et philofophici funt argumenti. Ad Iurisprudentiam fpectant, quae de Placcii libello de actionibus difputantur. Pleraeque Leibnitium auctorem habent.

p. 3. Gaudeo, ipfum virum magnum fateri, *methodum nouam difcendi docendique iuris*, effe librum effufum potius, quam fcriptum, in itinere, nec fibi omnino probari. Sunt enim profecto in illo, quae non deceant Leibnitii ingenium.

Reliquae epiftolae a Placcio fcriptae funt, theatri anonymorum et pfeudonymorum auctore, olim certe non incelebri. Si quem parum delectauerit dicendi genus, quo hae litterae confcriptae funt, ille eo magis oblectabitur libro *octauo*. Habet enim hic Bayeri et Gefneri epiftolas, quibus nihil elegantius et facetius fcribi poteft. Harum qui fuauitatem degustauit, nae ille parum fe recreabit Dreyeri litteris de fpeculo Saxonico, aliisque rebus, quas Gratiae Mufaeque ignorant. Ne ta-

p. 234. men omnino librum hunc intactum relinquamus, addamus vnum. Ex litteris Io. Ge. Graeuii ad Ez. Spanhemium intel-

intelleximus, illi in Academia Heidelbergensi professoris munus oblatum fuisse. Huic libro addita est Io. Henrici Schulzii *Obseruatio de nummis Romanis, in quibus S. C. et EX S. C. notatum legitur.* Quae in Commentariis Academiae Parisinae, (T. I. p. 321.) de hac nota disputata sunt, occasionem huic libello praebuerunt. Nihil interesse putat auctor, siue S. C. nummi praeferant, siue EX SC. p. 251.

Liber *nonus* exhibet Assemanni, Bayeri, Gesneri, et Ant. Franc. Gorii litteras. Gorii quidem famae an bene consultum fuerit harum litterarum editione, alii iudicent. Quod ad me attinet, non possum non fateri, mihi mirum fuisse visum animum viri, quem satis luculenter aliquot epistolae ostendunt. Quis non rideat, si legerit, Gorium ab p. 80. amico petere, vt *Programma Thesauri diptychorum in Actis Lipsiensibus iterum excudatur, addita adhortatione, et votis, vt, Deo fauente, quae promissa sunt, alacriter absoluat et perficiat.* Ergo non mentiti sumus, talia ad artes scriptorum pertinere. Atque etiam p. 91. valde delectatum fuisse Gorium suis laudibus, patet ex aliis litteris, in quibus eundem amicum orat, vt opus aliquod

suum,

suum, *suo cum honore in nouis litterariis cum aliquo plausu et hortatione ad se directa, vt huiusmodi acceptissimum opus valide et summo studio curet*, indicet. Quomodo vero accidit, vt horum *Actorum* auctor tam blandas litteras non accipiat? Nam durior hic videtur, quam qui eiusmodi precibus locum relinquat? Alio loco Gorius omnibus modis cel. Saxio persuadere conatur, vt sibi Diptychon Magni Consulis vendat, et praeter alia dicit: *liberum ei erit, huiusmodi opus, cui vult, dedicare, vt ita quoque proficere possit.* Cogitare talia putabam tantummodo scriptorum turbam. quomodo quenquam, hunc sibi animum esse, palam profiteri, credidissem? Nemo igitur posthac ignorabit, qua spe adductus libros suos inscripserit
p. 42. viris opulentis Gorius. Quanto melius placet Gesnerus, qui ad amicum scribit: *Quod putas ad Regem vsque Philosophum, aut Sapientem potius*, (loquitur de Friderico Magno) *adspirare posse versiculos meos, facis tu quidem pro tuo in me amore. — Sed, vt dixi, verecundam Musam colo, quae suspicionem etiam humilis et mendicae adulationis refugiat.* Si hanc Gesneri orationem

cum

cum Gorii verbis comparo, quam displicet Itali animus!

In *vltimo* libro Algarotti, Bayeri, Galilaei, Hommelii, Baumgartenii, et aliorum litterae exhibentur: inter quas non paucas esse videntur, quas cur Cl. Vhlius ediderit, caussam me fateor videre nullam. Quis enim leget litteras Clodii, professoris olim Arabicae linguae in Academia Lipsiensi, Gallico sermone exaratas? Sed meminimus p. 418. tamen, aliquid occurrere in iis, quod non contemnendum est. Quis enim credat, Clodium celeberrimum toto orbe nomen GOTTSCHED ex Arabica lingua deriuare? et quid putas significare hoc verbum? Hercle! nemo hoc coniectura assequetur. *Hominem doctissimum et omni rerum cognitione cumulatissimum* indicari hoc verbo in Arabia dicit. Sic *nomen et omen habet*. Videte vero Gottschedii modestiam! Notulam addidit, in qua se tanta laude indignum iudicat. *Ast frustra*, inquit, *Ex oppido enim in Styria prope confinia Hungariae sito, vt innumera alia nomina propria, petitum est.* Gottschee *dicitur vrbecula, maiorum nostrorum patria, in hunc vsque diem. vid. Bu-*

 schingii

schingii Geographiam. Bene certe hac notula vir *magnus* posteritati prospexit. Facile enim, vt de Homeri patria, inter plures vrbes certamen oriri potuisset. Nunc cui tantum bonum litterae debeant, constat. O beatam Styriam, Smyrnae aemulam aut Thebarum! — Vellemus a Cl. Vhlio pro Clodianis his litteris plures datae essent Hommelianae! nihil iis elegantius, nihil acutius. Modo enim Wolfium refutat vir optimus,
p. 373. qui e rerum contingentia, Deum esse,
p. 393. colligit: modo non esse contra religionis doctrinam scribit, si quis materiam esse aeternam contendat: modo capita quaedam Iurisprudentiae elegantioris
p. 403. attingit. Ne omnino nihil addamus, Hommelius noster, vbi mentionem facit *Vitae Lucii Titii, apud ICtos celeberrimi viri*, a Iacobo Massono e pandectarum libris compilatae, addit, ICtos, si nomine viri opus esset aut exemplo, idem egisse, quod philosophi fecerunt, qui nominabant Dionem aut Theonem. Ad hoc exemplum narrat se vitam *Caiae, celeberrimae foeminae et iuris peritae*, scripsisse. et denium, an forte Aelia Laelia Crispis, Bononiensis illa nec virgo, nec vidua, nec mulier, suae Caiae simi-

lis

lis sit, quaerit. *Eius*, inquit, *nomine* p. 405.
forte philosophus aut antecessor quidam frequentius in schola vsus, si exemplo opus haberet. Id forte occasionem discipulo petulantiori praebuit, de ea in marmore iocandi.

V.

La Theologie des Peintres, Sculpteurs, Graveurs et Dessinateurs — par *M. l'Abbé Méry*, D. L. C. Prêtre & Licencié en Théologie.

Paris, ap. H. C. de Hansy. 1765. pl. 12. 8.

Non omnino nouus hic liber censendus est. Magna pars debetur Ioanni Molano, quem de imaginibus sanctis scripsisse, quae pictores et sculptores in tabulis, quarum e doctrina Christiana argumentum repetitum est, peccauerint, notasse, neque pauca dedisse praecepta ab iisdem, si cum laude partibus suis fungi velint, obseruanda, constat. Hoc libro ita vsus est *Mereus*, vt, quae vtilia censeret et bona, retineret omnia; quae remotiora iudicaret ab argumento, reiiceret, mutaret ordinem,

 breuius

breuius alia exponeret, adderet quaedam, vbi opus videretur, doctrinamque inprimis exemplis illustraret pictorum, vno verbo, formam totius libri mutaret.

Libellus in *quatuor* partes descriptus est. In *prima*, quae in vniuersum obseruare debeat in sacro argumento pictor, ostenditur. Fundamenti loco hanc sententiam in *cap. I.* proposuit: Quaecunque Ecclesia in libris tradenda esse negat, eadem a sculptoribus et pictoribus negat penicillo aut caelo effingenda. Sed non magis credimus artificem Tridentini Concilii auctoritatem secuturum esse, quam viros ingeniosos abstinere videmus a lectione librorum, quos atro signo notauit Romae Censorum stupor et super-
p. 4. stitio. Melius placet *cap. II.* de modestia ingenua, quam figurae prae se
p. 10. ferre debent. Vbi licet assentiar Auctori, male agere pictores, qui vestem pretiosam sanctis viris et martyribus tribuant: videtur tamen idem durior erga eos, qui nuda corpora pinxerunt. Contemplationem eiusmodi tabularum non puto facile quenquam, minime eos, qui, quam reuerentiam religionis sanctitas postulet, sciant, et sentiant, libidine accen-

accendere, atque etiam, vt apud feros populos nuditas nunquam oculos animumque irritat, ita videmus ab Italis tales picturas sine damno conspici.

Nec credo, vehementius nos inuehi debere in eos, qui, quoties virginum sacrarum vultum efformare voluerunt, puellas, quas adamabant, exprimerent. Nam si iis pictor summam debebat formae praestantiam tribuere, quomodo aliam potuit dare, quam adamatae a se puellae? Nulla enim nobis magis placet ea, quam deperimus: nec aliam putamus formosiorem inueniri. In *Cap. III.* monet Auctor, pictorem, si eligendi habeat copiam, argumentum sumere illud debere, quod amorem virtutis et odium vitii inspiret. quae quidem non reprehendo. Ita artibus vsa est Graecia et Roma, atque nos nimium recessimus ab hoc more. — Iubet Auctor pictores in *cap. IV.* ea tantummodo argumenta eligere, quae auctoritate historiae confirmentur, sed nec eos reprehendo, qui sapienter ipsi fingant, aut necessitate coacti, aut opportunitate inuitati, quae historia reticuit. Quod ad primum attinet, facile quisque intelliget, Auctorem fide dignos testes appellare,

p. 9.

p. 11.

p. 16.

qui aliis sat nugaces videntur. Sed neque hoc vituperamus, vt paullo post
p. 23. monebimus. In *cap. V.* disputat contra artifices, qui fabulas offerant, eaque comminiscantur, quae plebem in errorem inducere possint, praesertim si eadem auctoritati religionis aduersentur. Peccasse, ait, vt exemplum addamus, qui Trinitatis formam sub corpore tricipite effinxerint. Non partu laborantem Mariam exhibendam esse, quae sine do-
p. 28. lore peperisset. Enarrantur in *Cap. VI.* errores pictorum, licet non periculosi, tamen euitandi. quales qui non rideat malitiae diaboli tribui (*)? Non vituperamus Auctorem, quoties ex suae doctrinae praeceptis loquitur, sed ita tamen loqui debere illum, vt decet hominem, ratione praeditum, quis neget?
p. 33. In *cap. VII.* pictores iubet, quoties dubitatio inciderit, sapientum opiniones sequi, easque complecti, quae a plurimis receptae sint. Non peccare, qui Adamum pomum ex arbore decerpentem pingat, licet alii ficum fuisse ab illo con-
p. 37. sumtum censeant. Praecipit in *cap. VIII.* sacras

(*) *la négligence, le défaut de reflexion, peut-être aussi la malice du Démon; ennemi de la vérité, en sont la source.*

sacras tabulas non temere in quouis loco, vbi profanari possint, exhibendas esse, nec in pauimento poni. An hic forte tessellata pauimenta oblitus est Auctor? Certe recordari debebat illud, quod Sena exhibet, a Duccio inchoatum et a Dominico Beccafumio perfectum, quodque sacrificium Abrahami summa arte dispositis lapididibus exhibet. Ad allegoriam p. 41. in *cap. IX.* transit. Illam sapienter adhiberi cupit, nec necessarium esse dicit, vt vulgus plenam illius vim semper adsequatur. In *cap. X.* et *XI.* quomodo p. 46. genii, cum boni, tum mali, pingi debeant, docet. Angelorum formam humanam, alis additis, antiquissimo vsu probari dicit, et caussas formae reddit. Non probantur Auctori pictores, qui coelum refertum quamplurimis capitibus, alio super alio posito, oculis offerant; meis certe talis pictura parum grata est. Malum genium cum cornubus, cauda p. 55. et vngulis effingit, ad paruulorum, credo, terrorem: nam adultioribus eiusmodi figura non potest non ridicula videri. Quis enim non riserit, si prodire videat in hominum conspectum istos

Stampano alcuni il suol di ferine orme;
E'n fronte humana han chiome d'angui attorte,
E lor s'aggira dietro immensa coda,
Che quasi sferza si ripiega e snoda. (*)

Si peritior fuisset Auctor artium, tueri potuisset hanc formam auctoritate Rubensii, qui in tabula, quae in Museo Dusseldorpiensi exstat, diabolum cornigerum pinxit. Sed, quae inepta sunt, ea neque magnorum virorum exemplis defendi possunt.

p. 57. *Altera* pars complectitur capita XVI. in quibus Auctor ostendit, quomodo Trinitas sancta, quomodo Christus, Maria, Apostoli, Martyres, Pontifices, Doctores et sanctae virgines pingi de-
p. 119. beant. In parte *tertia* recensentur viri *sancti*, secundum dierum festorum ordinem, qui iis dicati sunt, et quomodo a pictoribus et sculptoribus exhibeantur,
[illegible] additur. Nos in vtraque parte nihil legimus, quod reconditum esset, aut multum iuuare posset quenquam, praeter tironem. Melius profecto fecisset Auctor, si aptis vbique exempla tabularum laudasset, et, quomodo celeberrimi cuiusque aetatis artifices argumenta sacra proposuerint,

(*) Tasso.

fuerint, docuisset. Nam illa Asterii p. 108.
narratio de Euphemiae supplicio parum delectabit quempiam, quia pictor res et tempore et loco diuersas male commiscuit.

Nec *quarta* pars nostro desiderio sa- p. 201.
tisfacit. Habet haec indicem picturarum, ex Argenoilii opere sumtum, quae Lutetiae Parisiorum exstant. Tabula ipsa nunquam describitur, addito tantummodo nomine artificis et loci, vbi conspicitur illa.

Auctorem vbique e Romanae doctrinae praeceptis disputasse, nec miror, nec reprehendo. Namque in his rebus non quaeritur, quid verum sit, sed quid verum ab iis censeatur, quibus artifices inseruire debent. Quemadmodum illi, qui doctrinae profanae partem pingere velit, omnia obseruanda sunt, quae illius auctores docent: ita etiam non potest non, qui martyres aut viros sanctos exhibet, eorum praeceptis morem gerere, quibus haec numina debentur. Neque tamen credo, pictorem, toto hoc libello perlecto, ideo multo melius, quam antea, in hac re versaturum esse. Exspectabit ille fortasse copiosam descriptionem picturarum,

 rum,

rum, quae ingenium alat et acuat, peccata aliorum, aliorum virtutes ſibi Auctorem narraturum eſſe ſperabit, immo eum interdum ad Muſarum domicilia diuertiſſe, vatumque carmina cum pictorum tabulis comparaſſe exiſtimabit. Sed, toto libro cognito, ſe ſpe deceptum, parum aut nihil potius didiciſſe intelliget.

VI.

Nouveaux Memoires, ou Obſervations ſur l'Italie & ſur les Italiens, par deux Gentils-hommes Suedois, traduits du Suedois.

Londini, ap. Io. Nourſe. 1764. T. I. pl. 16. T. II. pl. 23. T. III. pl. 18. 12.

Nolumus curioſius quaerere, vtrum Londini, an Pariſiis hic liber prodierit, Gallus ne an Suecus Auctor illius ſit. Gallum certe indicare videntur ea, quae vt alia omittamus, T. I. p. 122. II. 154. II. 180. commemorantur. Nobis libri lectio nec fructu, nec voluptate carere viſa eſt. Relinquimus lubenter legenda aliis, quae de eorum, qui vecturam
I. p. 112. (margin note beside "rere viſa eſt")

faciunt

faciunt in Italia, malitia, quacum non
inepte bibliothecarii Mediolanenſis auaritia comparari poteſt, narrantur. Omittimus alia, quae ad eos ſolos pertinebant, qui iter, cuius narrationem in manibus habemus, fecerant. Quid opus erat, illa omnibus, qui vbique ſunt, narrare? Si in Graecis verbis ſcribendis turpiter peccatum eſt, non miramur. Sed in Latinis idem factum eſſe interdum, nollemus. Neque, ſi abeſſent, valde deſideraremus verboſas vrbium et regionum deſcriptiones, quas centum alii dederunt, aut quae de fatis et hiſtoria vrbium (vt de Maria Lauretana) plerumque e Muratorio repetita, commemorantur. Quae quidem licet ita ſint, adſunt tamen in hoc libro alia, quae lectoris animum recreant. Nam primum Auctores iter fecerunt anno huius ſeculi LVIII. habetque ideo liber nouitatis gratiam. Deinde adſperſa ſunt multa de viris doctis, de ingeniis hominum, de artibus, quae non diſpliceant. Quae huc pertinerent, notauimus inter legendum nonnulla, atque ideo facile repetere poſſumus, quibus aut delectari aut erudiri ingenium lectoris arbitramur.

I. p. 362. p. 38. I. p. 145. p. 260. 313. p. 352. II. 32. etc. III. 54. p. 172.

Primum

Primum quid in *prima* parte nobis mentione dignum visum sit, videamus. Complectitur ille historiam itineris, quod Nostri per Sabaudiam et Ferrariam fecerunt.

p. 12. Delectauit nos consuetudo Iesuitarum cum Voltario, et immorati sumus aliquantum iucundae cogitationi, quo vultu hos suos familiares adspiciat Vol-
p. 30. tarius. Quod ad vitae genus viri ingeniosissimi attinet, pulchre illud his versibus describitur:

Gratia, fama, valetudo contingit abunde,
Et lautus victus, non deficiente crumena. —

Nempe hic est ille poeta, in quo amando Musae cum Pluto raro exemplo certasse videntur. Nec omittemus, illum aliquo die comoedos quosdam ad Meropen agendam erudiuisse: initioque tacito murmure verba fabulae recitasse, sed mox incaluisse vehementer:

non vultus, non color vnus,
Non comptae mansere comae, sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument. —

Hoc ardore accensum optime illum actoribus ostendisse, quomodo narrandum,

dum, qua sit auctoritate suadendum, qua concitatione consurgat ira, qui gestus deceant miserationem. — Quae p. 16.
Geneuae viget, religionis doctrinam Auctores comparant cum *disciplina tristi et tetrica Sabinorum.* Non tamen omnem ibi superesse seueritatem Caluini, sed eam mollitam esse Arminianorum multitudine. Neque vni- p. 17.
uersum theologorum Geneuensium collegium vna voce Socinianorum sententias adoptasse: adesse adhuc quosdam veteris doctrinae tenaces: verum parua auctoritate hos valere, illorumque conciones esse *littus et solitudinem meram.*
Religionem Geneuensium esse nimis p. 22.
sublimem, et metaphysicam, quam vt moribus hominum aliquem vsum praestet. — De transitu Hannibalis per Al- p. 36-46.
pes varia disputantur. Nostri putant, illum per montem, qui dicitur Cenis, factum esse, atque cum locis scriptorum allatis, tum ipsius loci natura descripta, certe probabilem hanc opinionem reddunt. — Commemorantur quaedam p. 124.
de comite Christiani, qui Mediolanum nuper virtute ornauit. Ille, vt Caesar olim, quatuor scribis totidem litteras simul dictabat, atque morte impeditus

fuit,

fuit, quominus perficeret consilium, omnes leges Mediolanenses colligendi. Seuerus fuit, rigidae iustitiae satelles, et, quod testimonium continentiae est,
p. 169. parum opulentus obiit. — De Alberonio, purpurato patre, multa narrantur, et narrationi hoc versu finis imponitur.

Nimium vobis Hispana *propago*
Visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.

p. 176. Quam iniustos immortalium operum censores nacti sint maximi pictores, patet aliquot exemplis. Cum Parmae in templo felicissima audacia Corregius pinxisset opus, quod omnis posteritas cum admiratione adspicit, parum tamen obesis Canonicis satisfecerat. Negare illi, se mercedem promissam daturos: detrahere, quantum vellent pecuniae: reliquamque summam soluere numulis cupreis. Miser Corregius onus humeris imponit, longam media aestate viam init, et cum calore solis, tum viae longitudine atque animi dolore fatigatus in morbum incidit, quo post paucos dies exstinctus fuit. Vtinam nomina vultuosorum sacerdotum

tùm ſeruata ad noſtram perueniſſent memoriam! Aeterna in faſtis ignominia homines notari debent, qui procul dubiò acutius de pinguedine carnis et vini bonitate, quam de diuini viri operibus iudicarunt! — Copioſe deſcribitur alia Corregii tabula, quae ſacram familiam exhibet, et Parmae exſtat. — Vbi Mutinenſis tabulae cuiusdam mentio fit: placuit auriga, qui Guidoni eam tribuit, nec minori aut voluptate aut attentione eam adſpexit, quam Noſtri. Ita amore artium etiam plebs in quibusdam terris tenetur! — De inſtituto Bononienſi multa dicuntur, atque inprimis nunquam ſatis laudanda munificentia Benedicti XIV. celebratur, cui celebre hoc collegium plurima debet. — Schola Carrachiorum laudatur, atque praeter alia additur, triumuiros illos nullo modo ſibi ſimiles fuiſſe, nec diſcipulos magiſtris alia re, quam naturali et ſimplici facilitate, quae artis et laboris ſpeciem occultet: quemque ſui ingenii indolem ſecutum fuiſſe; atque de hac ſchola, qua Dominicus, Guido, Guerchinus et alii eruditi fuerunt, vſurpari poſſe illa Ciceronis: *omnes inter ſe diſſimiles fuerunt;* *ſed*

p. 178.
p. 191.
p. 205.
p. 213.

sed ita tamen, vt neminem sui velit
p. 218. *esse dissimilem.* Commemorantur quaedam picturae, quarum numerus magnus Bononiae exstat, inter quas eminet Hercules Colosseus a Ludouico Carrachio in vdo tectorio pictus, qui magnitudinem ingenii pictoris clare ostendit.
p. 220. Additur praeterea, omnes hos pictores admodum mediocri mercede laborasse, animi delectandi causa, et cupiditate artem perficiendi, posteritatisque laudem sibi
p. 242. conciliandi. — Inter omnes Guerchini tabulas maxime placuerunt Nostris nuptiae Iosephi, quae Fani Fortunae exstant. Compositio, aiunt, simplex est, nihil habere ex ingenio videtur: sed quae nobilitas, quae sublimitas ex hac sim-
p. 255. plicitate eminet! — Vbi nundinae Senogallianae describuntur, pulchre in mercatoribus cuiusque nationis indoles apparet. Longobardus, dicunt Auctores, Heluetius, Lugdunensis aduocat praetereuntes, appellat, inuitat, omnia ostentat, sine pudore immensum pretium postulat, et quodlibet laetus accipit. Batauus in taberna recte ordinanda occupatus, omnia purgat et polit. Romandiolensis et Siculus, pileo alte impresso, secum tacite rationes

subdu-

ſubducunt. Ferocior Anglus, quas poſtulas, merces oſtendit: pretium indicat: ſi te quidquam detracturum eſſe minaris, rem reponit, et manibus inſertis manicis in taberna ambulare pergit. — Quae Rauenna oſtentat in templis marmorea opera a Iuſtiniano, Placidia et Theodorico poſita, ſummi pretii ſunt. Opera huius Oſtrogothorum regis confirmant Ennodii teſtimonium, illum *educaſſe in gremio ciuilitatis Graeciam.* Nihil enim habent, quod barbariem indicet. Quo vero iure eodem loco Caſſiodorus, ſaepe non parum ineptus in libris ſuis, ſuae aetatis Fontenellius dicatur, alii videant. — Statuae Pontificum ideo non placent, quia ſedentes effinguntur, vt maiorem dignitatem habeant. Contrahunt capita inde moleſtam et ingratam ſpeciem. Michael Angelus ſtatuam Bononienſem Iulii II. militarem effinxit: *oportebat Imperatorem ſtantem exhiberi.*

p. 321. p. 322. p. 333. *Sueton. in Veſp.*

Altera pars complectitur deſcriptionem Venetiarum, Patauii, Anconae, et, praeter minores vrbes, Romae. — Goldonius moribus amoeniſſimis iucundiſſimisque conſpicuus et amabilis eſt: bibliotheca viri Plauto, Terentio et

p. 3.

Molierio absoluitur: omnibus libris vtilior gratiorque illi est obseruatio acuta hominum. Foecundum in fabulis suis ostendit ingenium hic naturae obseruator: simplex est et varius, sed dissimilis sibi et negligens, vt ipsa natura.

p. 39. — Pasqualius cum Guichardini nouam editionem pararet, nec omittere vellet narrationes quasdam, ab aula Romana damnatas, paucis ante editionem diebus magistratum adiit, plenusque doloris questus est, se primas plagulas iam per Europam dissipasse, vnde, consilio suo cognito, haereticum quendam, Petrum Gossium, Hagensem, duo illa loca damnata impressisse: se iam aliquot exempla accepisse ab illo, aliisque omnibus, qui hanc editionem emerint, eundem illa missurum esse. Hac arte, quam adhibuit, cuique fauit librarius magistratus, qui se facilem valde praebet et indulgentem in re libraria, factum est, vt liber vendi posset. — Paulus

p. 80. Veronensis ea in picturis exempla expressit, quae illi Venetiis natura obtulit, abhorruitque a Graecorum pictorum more, quos Cicero scribit non contemplatos esse in Iouis aut Mineruae forma facienda aliquem, a quo similitudinem

nem ducerent. *Nam ipſorum*, pergit, *in mente inſidebat ſpecies pulchritudinis eximia quaedam, quam intuentes, in eaque defixi, ad illius ſimilitudinem artem et manum dirigebant.* Venetiae illi pulcherrima formae exempla praebuerunt. Interdum etiam audenti penicillo vſus ſublimitatem oſtendit admirabilem. — Tintoretus ſibi elegit p. 83. actionem audacem et terribilem: neque tamen duritiem ſemper euitare potuit. Vbi fraena dedit, ſeque ingenii ardore abripi paſſus eſt, opera fecit ſumma admiratione digna. Diuina arte expreſſit perturbatam Mariam, cui angelus ſanctiſſimum myſterium annuntiat. Sed, vt nihil eſt omni parte perfectum, ita illa manus alacritas non poterat colores aptiſſime ſemper diſponere. — Monachi quidam Patrum au- p. 119. lae Romanae purpuratorum hanc deſcriptionem dederunt: *Cardinalis eſt animal rubrum, omnium beneficiorum capax, rapax, vorax.* — Petrarchae p. 122. imago, quae Patauii exſtat, offert faciem moeſtam et moroſam, qualis illi amorum vati non male conuenire videtur, cui non Venus, nec laetitia, ſed μελαγχολία dulces verſus inſpiraſſe

p. 126. videtur. — Eduntur e bibliotheca Nelliana litterae Ioannis Francisci Sagredi ad Galilaeum, quae non obscure viro summo fata praedicunt, quae postea p. 135. Florentiae expertus est. — Narrantur aliquot historiae ad Patauinam Academiam pertinentes, quas Facciolatus cum Auctoribus communicauit, quem recte aiunt cum vrbanitate et amoenitate morum summam eruditionem coniunxisse. — Veterum poetarum, vt p. 140. Horatii, Catulli, Martialis, nitidae editiones Patauii eduntur *ad vsum studiosae iuuentutis*, nulla parte rescissa. Ingenium Italorum perpetuo vsu adsueuit libertati poeseos, vt oculus lasciviori picturae. Hinc sine damno picturas adspiciunt laudantque Itali, quas septentrionis regiones igni addicerent aut aeternis tenebris. Possis eos comparare cum feris populis, qui, dum semper nuda corpora adspiciunt, nullo p. 142. modo hoc adspectu mouentur. — Facciolatus collectionem habet tabularum, vnde optime progressus artium inde a p. 151. primo initio disci potuit. — Auctor *Zodiaci Vitae* fuit Angelus Manzolli, qui sub *Palingenii* nomine latere voluit, medicus Herculis II. Ferrariensis,

Stella-

Stellatae oriundus. (compara Heumannum in *Poecil. T. II. L. II.*) Illius corpus *ſacerrimi* tribunalis iuſſu iterum ſepulchro extractum fuit. — In templo p. 165.
Lauretano conſpicitur calamus, a Iuſto Lipſio Mariae dicatus. Huius exemplum multi mali poetae ſecuti, calamos Acroſtichis inſulſis dicauerunt virgini.
— De inſalubritate agri Romani media p. 206.
aeſtate, foedisque et ſulphureis exhalationibus ita agitur, vt cauſae quoque indicentur, quae repetuntur praecipue a paucitate incolarum, qua *peſtiferi Pontina vligine campi* laborant. — Vbi p. 220.
Romam Noſtri delati ſunt, primum de antiqua vrbis facie, tum de noua exponunt. — Virgilius illis verſibus (Aen. p. 229.
VI. 873.)

Quantos ille virum —
— quum tumulum praeterlabere recentem,

reſpexiſſe videtur Mauſoleum Auguſti. Sed haec opinio non noua eſt, a Va- p. 238.
leſio iam prolata. vide Burmannum ad h. l. Cloacarum magnificentia verboſe deſcribitur, et iure illae appellantur opera maxima, quae vnqnam magnificentia, bono publico intenta, perfecit. Cloacam maximam a Tarquinio Priſco ex-

ſtructam eſſe, ſibi perſuadere non poſſunt Auctores, quem tot alia opera magna effeciſſe fama narrat, regem populi naſcentis et perpetuis bellis impliciti, nec illum ſummo imperio praeditum. Ante Troianorum aduentum in Latium, hanc regionem potius iam cultam fuiſſe, eosque populos ante Romulum haec aliaque exſtruxiſſe. Non nego, mihi ipſi, quoties cogitaui, quo modo tot tantaque opera a Tarquinio illis temporibus exſtrui potuerint, varias dubitationes in mentem veniſſe. Sed magis augere, quam tollere eas videtur
p. 261. ſententia Auctorum. — Paſſionei, viri litterarum amantiſſimi, infenſiſſimi Ieſuitis, veri, ſinceri, ab omni ſimulatione remoti, laudes non inuiti legi-
p. 304. mus. — Mentio fit libri, qui inſcriptus eſt *Taxa Cancellariae Apoſtolicae*, cuius editionem habuerunt Auctores eam, quae Pariſiis a. 1533. prodiit. Ibi p. 178. etiam indicatur, quantum pro expiatione criminis ſoluendum ſit ei, *qui matrem, ſororem aut aliam conſanguineam, vel affinem carnaliter cogno-*
p. 344. *vit*. — Plura narrantur de vrbanitate et iocoſa hilaritate viri optimi, Benedicti XIV. qua ille pontificii muneris

rigorem

rigorem et tristitiam exhilarauit. In hortis montis amoeni secessum habuit, vbi inter lectos familiares iocabatur, ludebat, ridebatque: negotia, quibus gerendis prae omnibus aliis aptus erat, nimium fugiebat, et Cardinali Valentio permittebat: facetissimus semper erat et abundabat leporum; id quod animo illius tranquillo tribuitur. — Iure p. 414.
inuehuntur Auctores in morem exsectam iuuentutem in theatrum producendi, seque effoeminati viri voce non delectatos fuisse fatentur, neque vnquam ita affectos, vt voce aut foeminae, aut pueri, afficimur. — Copiose p. 426.
describitur, quae sit doctrinae et artium facies Romae. E melancholico Italorum ingenio oritur eorum erga poesin et musicen studium. Musice non solum eos delectat, sed necessaria quoque est animi delectatio, qui eo magis afficitur, quo illa est tumultuosior. Quod ad architecturam attinet, olim immensas magis moles, quaeque oculos attraherent, amauerunt, quam nunc. commodas enim et opportunas aedes amare incipiunt. Principem inter pictores scholae Romanae locum hodie occupant Pacido Costanzi, Sebastiano Conca,

 Pompeo

Pompeo Battoni, et Jean Paul Panini. Mala ambitione et lucri cupiditate picturae celeberrimorum pictorum multiplicantur, quarum quaeque ab ipso auctore confecta esse dicitur. quintuplex ostenditur sancta familia Raphaëlis, quae Parisiis exstat, et quaeque Raphaëli tribuitur. Caroli Marotti laudes celebrantur, narranturque amores illius, quos ipse, non magis musicus et poeta, quam pictor, cecinit. Addita est epistola, licet ea iam alibi edita, Aretini ad Michaëlem Angelum, de tabula celeberrima, qua iudicium extremum depinxit. De Academia S. Lucae multa
p. 470. adduntur. — Inter doctos, qui Romam ornant, viros laudantur inprimis Foggini et Bottarius, senectute Romanis non magis venerabilis, quam Graecis Nestor, exemplum pietatis, modestiae, vrbanitatis, et cum copiosae, tum elegan-
p. 473. tis doctrinae. — Bibliothecae praecipuae, quae Romae sunt, commemorantur, inter quas Passionei bibliotheca excelluit. Illa omnis generis libros complectebatur, praeter scriptores Iesuiticos, quos ibi deesse palam vir optimus gloriabatur. Cum quotidie ex omnibus partibus Europae libros acciperet,

peret, solebat eos summo mane perlustrare, et suo quemque loco reponere. Benedicti consilio, cum Busenbaumianum scelus hominum animos commoveret, accidit, vt liber pessimus aliis adderetur. Quo conspecto, Passioneus

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens —
Obstupuit retroque pedem cum voce repressit.

Mox postquam animum collegit, familiarem aduocat, fenestram aperiri iubet, et miserum Busenbaumium per fenestram omni vi eiicit. Haec dum geruntur, Pontifex intrat, multum salvere iubet Cardinalem, qui salutationem eo gestu excipit, qui ludo finem iocosum imposuit. Saepius Benedictus simili modo Passioneum lusit, nec vlla alia re magis delectatus est, quam si circulos illius turbare posset. — Pro- p. 481. grediuntur Auctores ad poetas ineptos, qui, vt Choerilus olim, carmina fundunt extemporalia. Hunc addunt morem etiam in alios libros transiisse, in quibus loci communes et centies dicta non sine vana ostentatione repetantur.

p. 482. tur. Quod vero antiquum ſplendorem Latinae linguae ſtudium obtinere dicunt, videant, quomodo hanc laudem probent iis, qui in plerisque libris Italorum Latinis ſermonem barbarum non immerito ſibi inuenire videantur.

p. 61. Properamus ad partem *tertiam.* — Auctores Neapolin proficiſcuntur per montem Caſſinum, redeunt inde, et Piſam, Florentiam, Genuam et alias vrbes adeunt. Neapoli neque hominum mores neque artium facies talis eſt, quae cum reliqua Italia comparari poſſit. Templa immenſa mole conſpicua, intus magis opulenta, quam pulchra ſunt.

p. 65. Ingenium Neapolitanorum nulla re magis enitet, quam pyramidum ſeu obeliſcorum prope primaria templa con-
p. 70. ſtructione. In pictura etiam ſplendorem vnice amant, et quae modum ex-
p. 71. cedant, ſectantur. Tabula, quae duodecim prophetas exhibet, comparari poteſt cum optimis tabulis. Lucas Giordano *ſolus Academiam facit*, licet dul-
p. 78. cibus vitiis abundet. — Virgilii ſepulchrum, aeterna lauro obumbratum,
p. 85. deſcribitur. — Inter Herculanenſia monimenta non vltimum locum obtinet ſtatua aenea Mercurii; qui e longo itinere

nere rediit, talaria religat, totoque corpore, ipſisque ſuperciliis ſummam laſſitudinem praefert. Princeps San-Seue- p. 91.
ro ſibi lampades veterum inextinguibiles inueniſſe viſus eſt. Sed an lampas, quae menſes XVIII. fulſit, totidem annos quoque ſit duratura, tempus docebit.
— Non vnius Ianuarii ſanguis lique- p. 104.
ſcit Neapoli, ſed Stephani quoque Pantaleonis, Ioannis Baptiſtae, et aliorum. Voltarius huc illa Horatii Sat. I. 5, 97. tranſtulit:

Gnatia lymphis
Iratis exſtructa dedit riſusque iocosque etc.

Neapolitanos idem, Noſtri addunt, exiſtimare, ſed ſententiam dicere non audere. — Satyra Horatii eadem admo- p. 121.
dum iucunda et vrbana videtur Noſtris, praeter verſus de Meſſio et Sarmento, qui ruſticitatis non parum habeant, quam procul dubio in caſtris didicerit Flaccus. Eandem iocorum petulantiam turpem proferre Satyram VII. *Proſcripti Regis Rupili* etc. Sed haec correxiſſe deinde conſuetudinem cum amicis Auguſti, qua Horatius frueretur, et elegantiam aulae, nec eiusmodi loca in aliis occurrere.
— Viarum publicarum in Italia magni- p. 134.
ficentia,

ſicentia, quae in ruinis adhuc ſpirat;
p. 179. iure extollitur. — Plurimae tabulae
Florentiae exſtant, quae exteris argu-
mentum ſacrum offerre videntur, perito
vero rerum patriae Florentino hiſto-
rias narrant, quae aetate pictoris accide-
p. 186. runt. — Sequuntur multa de Galilaeo
et de odio ſacrificulorum, quod tantum
fuit, vt etiam deliberarent, an ſummo
viro ſepultura concedenda eſſet. Immo
negata fuit ornamento patriae veriſſimo
ſepultura, corpusque in terra profana,
vt putauit hominum ſtupor, conditum.
Sed Viuianus monumentum, frementi-
bus licet ſacrificulis, et clamantibus,
poſuit memoriae Galilaei, quod deſcri-
bitur, quodque auctori tanto honori eſt,
quanto dedecori iſtis popis illa acerbi-
p. 194. tas. — Adduntur quaedam de moni-
mentis Ioſ. Aueranio et Magliabechio
poſitis, cuius ſtatua, qua vultus viri be-
ne expreſſus eſſe dicitur, non hominis
faciem, ſed fauces animalis refert. Vi-
dimus aliquoties imagines Magliabe-
chii, aeneis laminis excuſas, nec aliam,
quam feram faciem nos videre memi-
p. 217. nimus. — Laudes adſperguntur copio-
ſae ſodalium Academiae *del Cimento*,
variis rebus nouis inuentis clarorum.

— Sub

— Sub finem allata sunt variorum scriptorum de ingenio et moribus Italorum iudicia. — p. 288.

Addita his obseruationibus est disputatio, qua musice Italica cum Francica comparatur. Nota enim sunt, quae p. 301- inde ab aliquot annis super hac re inter 351. vtrumque populum controuersiae agitatae fuerunt. Sequuntur aliquot Clementis XIII. epistolae, aliaque monimenta, p. 353- 382. quae ad nouissimam reipublicae Venetae historiam pertinent. Vltimum locum nacta est oratio Italica, qua Franciscus quidam Macedo S. Francisci laudes enarrauit. Non potest facile luculentius ineptae eloquentiae specimen inueniri; nec insulsiorem oratorem credo vllam regionem audiuisse.

VII.

VII.

Confiderations fur l'E'tat préfent de la litterature en Europe.

Parifiis, ap. Ludov. Cellot. 1765. Alph. 1. pl. 1. 8.

Heu Fortuna! quis eſt crudelior in nos
Te deus? vt ſemper gaudes illudere rebus
Humanis!

In media enim Gallia terrae quendam filium tribunal, vnde profpiciat, totamque Europam oculis perluftret, vt olim Lynceus centum triginta quinque millia paffuum peruidit, afcenfurum, atque de eruditione et ingenio omnium populorum iudicaturum effe, quis vnquam crediditffet? immo quis exifti-met, Italos, Germanos, Belgas, Suecos, Polonos, Danos, ea de caufa ab acerbo cenfore citari, vt, fe omnino nihil fapere, nec oculos attollere, nec hifcere debere audiant? Omnes iratus iudex, tanquam naturae crudelis infelicem prolem, damnat, atque, fi folos Anglos exceperis, neminem elegantiam Gallicam vel cogitatione affequi poffe

posse pronuntiat. Mirum, dicitis, esse hoc spectaculum, et singularem iudicii hanc formam. immo ridiculum vobis videri leuiculum Abbatem, non facie pulchella, non sermone dicaculo, sed vultuosa fronte et rugis Criticis deformi adsidentem, impudentique ore omnibus, qui vbique sunt, dicentem: nullum vobis dedit natura ingenium; praeter humanam speciem et formam nihil habetis, quod vos homines esse ostendat: miseret me stuporis vestri atque inscitiae omnium rerum. — Nolite ridere.

Vos nugas asseritis: nos seria loquimur.

Testificor, denuntio, ante praedico, neque hic vocem infractam cantillantis Abbatis auditum, neque capillum arte compositum et oculos ludibundos conspectum iri. Plena hic omnia sunt seueritatis et rigidi iuris.

Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna.

Vos igitur omnes, qui vbique estis, accedite, et quid tandem de vobis statuendum sit, intelligite. Loqui enim iam incipit Censor noster, atque vt eo melius,

lius, qualem iudicem nacti sitis, perspiciatis, de se ipso multa praefatur. Au-
cap. 1. ditis? omni se praeiudicata opinione liberum esse profitetur: animum sibi esse, rem literariam emendare, ope-
p. 9. ramque vtilissimam suscipere: non pertinere se ad istos homines, qui seruili animo alios sequantur, sed talem se esse virum, a quo alios deceat exemplum sumere. Thrasonem aliquem audire vobis videmini? Immo mox osten-
p. 10. det, qualis vir fiet. Nihil enim pergit se magis amare libertate cogitandi. Atque huic amori eo lubentius satisfaciet, quo maiori animo censuras feret iniquas et acerbas. Perpaucorum, ait, hominum laude contentus viuam, certissime persuasus, acerrimum quemque censorem hanc mihi laudem tributurum esse, me vnice gloriam huius seculi augere studuisse, immo huic consilio perficiendo adeo fuisse intentum, vt meam quoque gloriam negligerem minueremque. Malum omen hic timor, haec oratio habere videtur. Absint ab hoc iudicio omnia, quae male auspicatum initium faciant. Atque etiam ipse nunc longe
c. 2. p. 11. maiora narrare incipit. Admirabilis enim facundiae caussas commemorat, quibus

bus incrementa litterarum tribuenda sint, et quoniam nos omnium rerum ignaros credit, magno nos munere beat, atque pace, libertate et coeli aërisque temperie litterarum florem augeri docet. Immo, vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, clauo trabali figat, verbose in Criticos inuehitur. Neque enim se progressum litterarum et interitum apud antiquos populos ab alia causa repetere posse fatetur, quam a paucitate et a multitudine Criticorum. Cre- dite mihi, clamat, c. 3. 4. p. 45.

seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,

nihil perniciosius est amore Critices: nihil stultius viris, qui certis praeceptis et regulis ingenium, omnium legum impatiens, compescere aut potius delere audeant, cum tamen de ingenii monimentis non Criticorum, sed totius populi vox audiri debeat. Quae quidem omnia ego non audeo vituperare. Nimis enim agrestes homines Critici sunt, libros ineptos laudare nolunt, et Gallicam elegantiam spernunt. — Hercle! valde commotus esse Censor videtur: iam venae tumescunt, inquietae manus iactantur, pectus crebro spiritu concuti-

 tur,

tur, nihilque iam auditur praeter terri-
c. 5. 6. bilem vocem: *Quos ego!* — Aut fallor, aut magnam haec ira tempestatem praedicit. Sed colligit iterum animum atque de seculis barbaris et comparatione antiquae eruditionis cum noua ita disputat, vt censoris personam deposuisse, atque cum pueris sexennibus confabulari videri possit. Nempe perturbauerunt paullum summum virum multae et graues cogitationes, quae in illo totius Europae censore animo ver-
c. 7-13. santur. Sentit iam aduentantis dei numen, atque coelesti ardore incensus, nutu et manu significat, nos propius accedere debere; statim quamque nationem sententiam audituram esse. Quis non nostrum exhorrescit animo, submissaque voce orat:

Parce grauis metuende thyrso!

Sed nullae preces valent: nullae lacrimae quidquam efficiunt. Adestote igitur omnes animis, erigite mentes auresque vestras. Iam primum tecum loqui cupit, Italia. Quae tui filii scribant, magis inquit iudicium Criticum, quam ingenium ostendere: non imitari eos antiquos: nulla in arte naturam

obſeruare et exprimere: omnia pueriles ineptias et vanos luſus redolere: Philoſophos tuos in verba magiſtrorum iurare et in vmbra garrire: immo eſſe Italos vltimos ſemper reliquorum mortalium, qui nouas ſententias nouaque inventa probent. Inprimis artium et antiquorum operum amorem in vobis ridet, o! boni, vosque picturas tactu, et numos odore explorare, lepidiſſimus mortalium addit.

I nunc, argentum et marmor vetus aeraque
et artes
Suſpice. —

Sed reſtare vos video, atque riſum tollere. p. 67.
Alii veſtrum mirantur, Cenſorem hunc dixiſſe, Dantem veſtrum, ſummi ingenii poetam, famam ſuam debere barbariei temporum, quibus vixit. Alii p. 71.
rident, Metaſtaſium ita comparari cum Taſſo, vt dramatico carmine longe hunc ſuperaſſe dicatur, neque putant, longe diuerſo carminum genere claros poetas inter ſe apte comparari poſſe. Immo Paciaudios veſtros, Facciolatos, et Bottarios cachinnum video tollere ad orationem hominis, vt dicitis, imperiti. Clamat enim: *Pour ce, qui eſt de la* p. 73.

sculpture, l'antique le plus fruste est justement ce, qui fixe davantage leur admiration. Ne fut-ce, qu'un bloc informe, dès-lors qu'il sort des ruines de Torse, *il est d'un prix infini.* Quaeritis enim, vbi haec vrbs sita sit, quaeque statua indicetur? Immo ignarum omnium
il torso. rerum hominem, additis, *dorsum* Herculis, siue illum admirabilem truncum, qui in Vaticanis hortis exstat, ignorasse, atque hinc errorem commisisse maxime ridiculum, quique, dicitis, si vulgetur, in viis profecto, mi homo,

vellent tibi barbam
Lasciui pueri. —

Sed st! nos miseros Germanos ad se accedere iubet, duriusque etiam, quam cum Italis, se nobiscum acturum esse minatur. Neque etiam mentiri videtur.
p. 79. tur. Vt enim os contorquet! vt irridet illum populum, qui nulla re magis delectetur, quam magnis voluminibus scribendis, cum tamen angeli, si libros scribere velint, profecto nunquam hanc immensam voluminum formam amaturi
p. 82. turi sint (*). Papae! amaris iocis nos enecare

(*) *Si les Anges s'avisoient d'être Auteurs, je doute, qu'ils ecrivissent des in — folio.*

enecare cupit. Eodem lepore exagitatur Latinae linguae ſtudium, cui nos parum venuſtos homines deditos eſſe queritur: exploditur Critices amor, et diſputationum Academicarum ratio (*).

— Sed vnde

Tam bene me noſti?

Murmurare quendam audio. Mentiri dicit Auctorem, nec veſtigium eiusmodi certaminum apparere, niſi forte

 in

(*) p. 83. *On eſt diſpenſé d'y apporter la gravité empeſée, qui préſide aux leçons ordinaires. Il fait beau voir, comme on y joue la vivacité & la gentileſſe. D'un coté ſont les partiſans de ce, qu'ils appellent la nouvelle Philoſophie, c'eſt, le Carteſianiſme: de l'autre ſont les Péripatéticiens, qui tiennent pour Ariſtote. Pour l'ordinaire les deux partis ont tort. Cela n'empêche pas, que chacun ne ſoutienne ſon opinion avec un attachement, qui n'eſt du qu'à la vérité. On crie de toutes parts à plein goſier,* Nego, probo, diſtinguo. *Cependant les eſprits s'échauffent: le Préſident peut à peine ſe faire entendre: l'Aſſemblée s'en mêle. La diſpute devient générale. Toute la ſalle eſt rempli de confuſion & la voûte retentit d'un bourdonnement philoſophique, dont chacun remporte encore chez ſoi une forte impreſſion.*

in Academiis pontificiis? Sed errat. melius Gallulus noſter Germaniam cogni-
p. 81. tam habet. Alioquin vnde ſciat, Germanos parum cogitando aptos eſſe, ſummoque labore compilandis libris tantum ſufficere? vnde iudicare audeat de Academia Gottingenſi et Berolinenſi?
p. 83. Illam ait nihil feciſſe aliud, quam vt magnum paruulorum canum numerum
p. 93. diſſecaret: huic non longiorem famam et vitam praedicit, quam Lutetia Pariſiorum viros doctos in Germaniam miſſura ſit. — Nolite, populares mei, ſeverius cum hoc Cenſore agere, aut ſtomachari vehementius. Audio enim veſtrum quosdam dicere, ſi modo principes Germaniae pecuniam profundere pergant, nunquam defuturos eſſe famelicos Gallos, qui nugas ſuas nobis vendant. Neque ego quaerentibus vobis iracundius,

an commotae crimine mentis
Abſolues hominem?

reſpondere poſſum. Haec ſeueriora ſunt et parum elegantia. Iudicem vero nacti eſtis dulciſſimum. Praeterea ſocios habetis malorum plurimos, quorum exemplis dolorem veſtrum conſo-

lari

lari debetis. Auditis enim, Belgas commentariis ſcribendis nimis intentos, maiorem multarum rerum memoriae honorem habere, quam ingenio, nihil habere proprium, omniaque a vicinis populis ſumere. Auditis, in Hiſpania nimia credulitate, monachorum multitudine et ſuperſtitione florem ingenii extingui. Sueciae litterarum flos praedicitur, niſi domeſtica diſſidia illum impediant. In Dania litterae cum Holbergio natae, cum eodem ſepultae ſunt. Polonia, licet excitata Zaluskiorum favore, nihil tamen edidit, quod attentione dignum videretur. Iterumne quaeritis: hunc hominem p. 94. p. 99. p. 106. p. 109.

Nec medici credis nec curatoris egere?

Dixi iam vobis, non ſolos Germanos deſipere. totus fere terrarum orbis inſanit, praeter Anglos et Gallos. Hos enim ſolos putat Cenſor inter ſe comparari poſſe: Italiam et Germaniam eſſe iam emortua corporis litterarii membra, neque vllam ſpem ſanitatis relinquere: in omnibus terris Muſarum templum euerſum iacere; in Gallia et Anglia idem iam labare, ſed ſuſtineri tamen poſſe. Et quis eſt, qui hanc ruinam p. 121. p. 138.

 fulciat?

fulciat? Atlantis perſonam induit pumilio noſter. Inde etiam varia addit, quae proſint vtrique populo. Loquitur enim facundiſſimus homo de fatis doctorum hominum, de praemiis, quibus iidem excitentur, de itineribus inſti-
c. 18. tuendis, de Academiis litterariis. Prae-
p. 171. cipue vero in Criticos inuehitur, illosque angue peius et cane fugiendos eſſe etiam atque etiam monet. Quantum
p. 282. illorum numerus creſcat; tantum minui ingenium, atque ſi rurſus omnia barbaries occupet, cauſam malorum eſſe a Criticis arceſſendam. Nunquam vero auitae laudis et gentis adeo obliuiſcitur Cenſor, vt Anglos ſapientiores eſſe cre-
p. 142. dat Gallis. Quomodo enim, qui omnes mortales fungos, truncos et ſtipites exiſtimat, non longe inferiores Anglos cenſeat Gallis, quorum etiam mulieres reliquis mortalibus plus ſapere dicit?
p. 145. Quomodo non praeferat longe insulae beatae eam terram, quae *magnum numerum* hominum doctorum alit, quos omnis poſteritas venerabitur. Atque iam enumerare eos incipit, et, qui nunc Galliam illuſtrent viri, venuſtis digitis computat omnes. Quam facetus vero eſt homo! quam lepide Pyrgopo-

linicen

liniceft Plautinum imitatur! Iurares hodie scriptos esse illos versus:

Py. *Ecquid meministi?* Ar. *memini. centum in Cilicia,* — *Mil. Gloriof.*
Et quinquaginta centum Sycolatronidae,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidisti vno die.
Py. *Quanta isthaec hominum summa est?*
Ar. *septem millia.*
Py. *Tantum esse oportet: recte rationem tenes.*

Auditis nomina summorum virorum, p. 159.
quae ille recitat. age nunc rationem subducamus. *Duodecim* ille viros recenset. qui sane numerus est maximus. Eo etiam maiori iure Anglos reprehendere potest. Nam in Anglia sola rerum multarum scientia, licet vtilitate destituta, viri docti nomen conciliat: scripta Societatis Londinensis benignam ridendi materiam Censori praebent: fa- p. 232.
bulae in theatro male aguntur atque haec res in dies magis corrumpitur: bene- p. 164.
ficia et praemia non recte distribuuntur. Quod quis est, qui in dubium vocare audeat, aut vbique gentium eun-

 dem

dem ſtuporem regnare neget? Omnes enim nationes certatim praemiis cumulare debuiſſent Cenſorem hunc, et Gallum, et mortalium omnium ſapientiſſimum, Attalicisque conditionibus hominem inuitare, vt ſibi ſapientiam traderet et doctrinam omnem. At o ingratum ſeculum! o coecas hominum mentes, qui ſua bona non norunt!
p. 209. Quis igitur indignari debet, ſi ille no-
p. 258. ſtram nobis ignorantiam oſtendit? cur iraſceris, Germane, ſi iterum te ob ſcribendi immenſos libros cupiditatem irridet, ſi te omnium populorum minime peregrinari debere pronunciat? An vero, optime vir, puerorum Germanorum, qui Pariſiis patrimonia effundunt,

Neſcis quo valeat numus? quem praebeat vſum?

Ipſe ſentio, quantum ſaucietur animus noſter hac ſententiae acerbitate, pudetque me patriae meae. Immo iraſcor fortunae, quae me non in illa terra naſci voluerit, cuius incolae in cunis ſapiunt. Sed quid agamus? Quo nos vertamus? Maiorem aiunt eſſe iudicem aliquem et arbitrum Noſtro, quam-

quam

quam proxime hic a diuinitate abest, sed aiunt tamen esse aliquem deum, qui Musis praesideat, et praeter alia regem quendam olim male mulctauerit, cuius

non Delius aures
Humanam stolidas patitur retinere figuram:
Sed trahit in spatium, villisque albentibus implet,
Instabilesque imo facit, et dat posse moueri.

nam hunc quoque narrant iudicis sibi partes sumsisse. Huic deum adire debes, illique causam exponere. audeo fere euentum tibi praedicere, nisi me omnia fallunt:

Soluentur risu tabulae, tu missus abibis.

VIII.

De indicio Curiano disserit D. IOSIAS LVDOVICVS ERNESTVS PÜTTMANNVS.

Lipsiae, ex officina Langenhemia, 15. pagg. 1765.

Breuem hic indicamus, at elegantem, doctum et bonae frugis plenum libellum

bellum eruditissimi Püttmanni, cuius de elegantiore iurisprudentia merita neminem harum rerum peritum ignorare arbitramur; et qui suo exemplo demonstrat, quantum iuuet in foro bonarum litterarum studium. Agitur vero de nobilissima illa lite, quae iudicium Curianum vocatur, et a CICERONE (*) atque QVINTILIANO (**) describitur, ita, vt primum, quid in controversia fuerit, indicetur, deinde in rationes ab vtraque parte prolatas inquiratur, vbi male iudicasse Centumuiros ex cerebrina aequitate contra veram Scaeuolae sententiam stricto iure subnixam, firmissimis rationibus euincitur, denique quid hodie, si similis species emergat, obtinere debeat, ostendatur. Quae quidem omnia docte et accurate, vt solet, exposuit Auctor, cui nacta laborum praemia gratulamur, maiora vero, quae dudum promeruit, ex animo apprecamur.

F. S. A.

(*) CICERO in Orat. pro Caecin. cap. 18. et de Orat. Lib. I. cap. 39. et 57.

(**) QVINTILIANVS Institut. Orat. lib. VII. cap. 6.

IX. Su-

IX.

Super laudemii exactione, Praeside DAV. GOTHOFR. WILKE, I.V. D. die XXI. Maii cIↄ Iↄ CCLXV. disputat HENR. FRIDER. INNOCENT. APEL.

Lipsiae, ex offic. Breitkopfia, 12. pagg.

Futilis huius scriptionis non aliam ob caussam mentionem fecimus, quam vt moneremus alios, ne ineptiis his perlegendis tempus perdant. Auctor, iuris imperitissimus, quaedam ex libellis compendiariis depromta (nam ne primarius quidem de laudemio scriptor, Franzkius, ipsi notus fuit), sine ordine in chartam coniecit, et beneficiarii atque Romani iuris principia adeo misere commiscuit, vt non sine risu illius nugas perlegere possemus. Specimen dabit laudemii definitio, quam pag. 4. suppeditauit. *Est vero*, inquit, *laudemium certa pecuniae summa ex alienatione certorum bonorum domino directo pro inuestitura a nouo acquirente in recognitionem dominii persoluenda.* Ingenium autem Wilkii ex eleganti *laudemii*

mii deriuatione, quod a *laudare* deducit, ſatis elucet. Poterat vel tiro meliora eum docere.

F. S. A.

X.

A. Corn. Celſi de Medicina Libri octo; recenſuit — lectiones variantes et animaduerſiones variorum, — indicesque adiecit *Car. Chriſt. Krauſe.* Lipſiae, ſumt. Caſp. Fritſch. MDCCLXVI. 2. alph. 9. plagg. 8.

Haud ſine inſigni voluptate hanc nitidam pariter, caſtigatiſſimamque editionem ſcriptoris praeſtantiſſimi, non medicarum magis, quam mitiorum diſciplinarum amicis cari, nos indicare fatemur. Iam antea, ſingulari emiſſo libello (*), Vir Cl. in Celſo recenſendo occupatum ſe publice declarauit, nec ſpem, quam tunc de felici huius laboris ſucceſſu concipiebamus, fefellit. Plurima corrupta feliciter corrigit, multa obſcura commode interpretatur atque

(*) A. C. Celſi de Re Medica Lib. 4. poſteriores emendat *Carolus Chriſtianus Krauſe*, Lipſ. 1762.

que ita se vbique gerit, vt et industriam suam, et elegantiam doctrinae non vulgarem cuiuis facile approbaturus sit. Quae laus nostris temporibus eo sit splendidior, quo magis in dies numerus eorum decrescere videtur, qui solidam studiorum humanitatis scientiam cum arte medica coniungere norunt, nec, sine his quemquam viri docti nomen tueri posse, sibi persuadent.

Instituti rationem ipse V. Cl. in praefatione suse docet. Lindenii temeritatem Celsum multum deformasse, eique maiora vulnera intulisse, quam sanasse, queritur. Hinc quatuor genera locorum in Lindeniano textu occurrere, additis exemplis, notat. Alia enim, reclamantibus licet editionibus prioribus, perspicua esse, minimeque mutanda; alia contra in illis exstare integriora; de quorundam lectione, vtra praestet, dubitari posse; ac tandem esse, quae in nulla editione speciem verae scripturae habeant. Quae omnia vt in melius reformarentur, sordesque indignae Celso abstergerentur, Vir doctissimus editionem nouissimam Pataninam cum vetustioribus contulit. Vsurpauit autem praeter Florentinam principem, quam vel

vel Codd. MSS. praestare didicit, Venetas, Iuntinam, Aldinam, aliasque optimas et antiquissimas. Consuluit quoque Gallicam versionem Nininii, Anglicamque Greiuii, et Codicis Florentini lectiones variantes, ex Lib. 8. descriptas, et ab Ant. Cocchio Mugellano 1754 cum libris quibusdam chirurgicis Graecis, euulgatas. Verum istae parum Nostro profuerunt, quamuis maximus earum numerus esset. Loca Celsi parallela, aliorumque auctorum, secutus Almeloueenium, aucta, cum lectionum varietate, ex collatione, quam diximus, orta, textui subiecit. Praeterea, ad maiorem libro conciliandum ornatum, Celsi vitam a Io. Rhodio descriptam, Lindeniani laboris subsidia, Indicem auctum editionum Celsi omnium, tum diuulgatarum, tum promissarum, Testimonia variorum de Celso, capitumque indicem adiecit. Ad calcem, Caesarii, Constantini, Ios. Scaligeri, Casauboni, Almeloueenii animaduersiones coniunctim exhibentur, figuris quibusdam aeri incisis, vt p. 599. cucurbitulae antiquae et p. 713. forcipum chirurgicarum illustratae. Quae Morgagnius ad Celsum scripserat, vt

pro-

prolixiora, Cl. Editor aut paucioribus verbis comprehendit, aut lectorem ad librum ipsum consulendum remisit. Ab ill. Trillero obseruationes ad libros tres priores impetrauit, auctoris eruditione et ingenio dignissimas, suasque passim addidit, quibus mutatae a se vel defensae scripturae caussas docte breuiterque exponit. Quae cuncta scriptorum a Celso laudatorum, rerum et verborum, atque medicamentorum et alimentorum indices tres copiosissimi sequuntur.

Neminem sane medicorum elegantiorum fore credimus, qui non eximium hunc Cl. Krausii laborem, eo quidem animo susceptum, vt Celsi sui lectione iucundius et expeditius in posterum frui possint, omni laude et assensu dignissimum iudicet. Nam rudem quandam illorum turbam, qui sibi *Practicorum* titulo placent vnice, vultu sapientibus rugis obducto, hanc operam vtilioribus impendi potuisse, criticam otiosis ludimagistris relinquendam esse, clamaturam facile praeuidemus. Sed neque his scripsit Vir doctissimus, neque ipsis praeter *Dispensatoria*, *Formularia*, et compotationes pulcrum

quidquam aut praeclarum videtur. Quemadmodum vero istos irato suo genio relinquimus: ita vehementer optamus, vt medici Latini veteres reliqui, nimis raro apud nos hodie occurrentes, eadem cura a viro quodam docto expoliti, cum eruditis denuo communicarentur. Tantam profecto vtilitatem arti medicae diligentem eorum lectionem afferre posse, patet, quantam a multorum commentis subtiliter inanibus vix vnquam sibi polliceri poterit.

*H.***

XI.

Ioh. Frid. Herelii Specimen III. Animaduersionum criticarum in quaedam veterum scriptorum loca.

Alciphron L. I. epist. 5. ed. Bergler. τὰς παρ' ἐμοὶ θηρεύοντας δελεάζων — περιουσία μισθωμάτων.) Nunquam profecto his verbis mendum inesse putassem, nisi ipsius Alciphronis auctoritate inductus. Scilicet L. 3. ep. 21. legitur, ὁ δὲ θητεύων παρ' ἡμῖν Παρμένων, qui et mox μισθωτός vocatur,

tur, vt adeo locus iste nostro sit simillimus. Rectene igitur corrigo: θητεύοντας? Sic certe putem, nec mutatio violenta est.

ep. 24. Ἐκτίσομεν αὐτὸ τὸ μέτρον, καὶ λώιον.) Cum hoc ex Hesiodo ἔργ. v. 350. expressum sit, vt recte eruditissimus Berglerus animaduertit, malim sane verba, vt ibidem, in casu datiuo legi: αὐτῷ τῷ μέτρῳ. Sed hoc leue est.

ep. 26. Εὐθὺς μὲν ὦν μόλις με προσεῖπε.) Haec quidem cl. Berglero inter se pugnare videntur, at quam recte, equidem nescire me fateor. Cur non enim quisquam *primum*, *ab initio*, vix loqui, ridere, accedere, dici queat? At haec frequenter εὐθὺς significare, nemo nescit. Adscribamus, qui commode succurrit, locum, vbi ista similiter coniuncta obseruauimus. Val. Flacci L. IV. v. 261: *Continuo* Bebryx — *vix* ora virum, *vix* tollere passus Brachia; quamuis eum a Graeco nonnihil discrepare, non negemus. Sic fere et Stat. L. XII. Theb. v. 321. *mox tandem* voce reuersa, quod ipsum mire positum multis videri poterat.

ep. 39. Φιλεῖς ὅτως, ὥςε τὸ μὴ δὲ ἀκριβῶς αὐτῷ διαζευχθῆναι δύνασθαι.) Locum hunc aperte corruptum non parum acutissimum Berglerum torsisse, ex animaduersione ipsius patet. Tentat autem et: ἄχρι βωμῶν, et: μηδὲ γοῦ ὅσον, cui posteriori coniecturae prae illa fauet. Nos quemadmodum nullam damnamus, ita minori forte licentia, ipso rursus Alciphrone praeeunte, locum sanare conabimur. Scribo igitur: ὥςε τοὶ ὅδὲ ἀκαρῆ πως α. δ. δ. L. 3. ep. 25. τὸν ἀγρὸν ὅδὲ ἀκαρῆ θέλεις ὁρᾶν. En suspicionis meae fundamentum! Cetera leuissime tantum mutata sunt. Paulo post p. 186. ἡμῶν μόνη scribendum putem.

L. 2. ep. 1. βλέπεις — μικρὸν καὶ πολεμικόν. Corruptum prius in; φρικτὸν, mutat Bergl. nos eodem sensu, sed minori licentia: πικρὸν, legimus. Illud poëtarum: *acerba tuens*, numquid aliud esse putabimus?

L. 3. ep. 29. δεινὸς — ῥήτωρ ὑπὲρ τὸς ἐν Μιλιαίῳ — ἀδικομαχῦντας.) Haud satis fauentes sibi Musas ingeniosissimus alias Berglerus in corrigenda hac voce expertus est, dum: Μητιχείῳ, con-

coniicit. Videamus, an quid forte melius ex duorum codicum, quos laudat, ſcriptura elici poſſit. Μιλιαίῳ vnus, alter ΜΗλίῳ habet. Iam coniungamus: ΜΗλιαίῳ! Quid deinde? Iam proxime a veritate abſumus, quae reſtituto alio Athenienſium tribunali: Ἡλιαία, apparebit. M facile ex repetito praue H oriri potuit. Ariſtoph. Equ. v. 893. κᾆπειτ' ἐν Ἡλιαία βδέοντες ἀλλήλες ἀποκτείνειαν οἱ δικαςαί. Ipſe Noſter L. 3. ep. 61. τοῖς ἐν Ἡλιαίᾳ καταριθμεῖται δικάζεσι.

ep. 51. ὅια γὰρ καὶ νεεργεῖν ἐπιχειρεσιν.) Credibile eſt, dediſſe Alciphronem: ὅια. Sic ſupra ep. 7. ὅια γὰρ ὅια λακκόπλετοι εἰργάσαντό με. ep. 39. ὅια γὰρ ὅιά σε λανθάνει. ep. 55. ὅιον γὰρ ὅιον ἔλαθέ σε.

ep. 53. ἀφύας μαγειρικάς.) Explicationem, quam dederat Berglerus, ipſe repudiat, et eſt ſane nonnihil durior. Quas autem ſubſtituit: Φαληρικάς, notas quidem veteribus fuiſſe novimus, ſed quantum, quaeſo, haec coniectura a veteri ſcriptura recedit? Vellem, tentare liceret: Μεγαρικάς.

Forte et huius regionis apuae Graecis fuere in deliciis.

ep. 59. Λιμέντερος Ἀμασήτω.) Quum fere semper id spectauerit Alciphron, vt nomina moribus hominum conuenientia fingeret, credere fere sollicitor, Ἀινοσίτω nomen fuisse homini, quod et pulcre amico esurientis similiter nominis, qui litteras scripserat, conuenit. Sic etiam

ep. 66. pro: Γυμνοχαίρων, scripserim: Δειπνοχαίρων, aut, si mavis, Γαμοχαίρων. Quam exoptatae parasitis fuerint ditiorum nuptiae, ex epistola 49. liquet. Contra, qualem, rogo, voluptatem nuditas ipsis afferre poterat?

Haec in praesenti ad Alciphronem annotasse sufficiat. Plura, quae ad eiusdem vel emendationem, vel illustrationem pertinent, singulari libello reseruamus, quo et virtutes et vitia dulcissimi huius scriptoris paulo accuratius examinabimus. Is enim, si quisquam alius, dignus sane est, qui ab elegantioribus diligentius, quam fieri videmus, euoluatur, cuiusque lepores et venustates aequi litterarum nostrarum aestimatores ex animo admirentur.

XII.

LIBRI MINORES.

I.

Friderici Gotthilf Freytag IC. Ciu. Numburg. Praetor. Specimen historiae litteratae, quo virorum feminarumque μητροδιδάκτων memoriam ex omni antiquitate recolit. Lipsiae, ap. C. G. Hilscher. 1765. pl. 8. 8. Collegit Vir Cl. exempla virorum et foeminarum, quibus materna institutio ad honorem et prudentiam profuit. Primus est rex Lamuel, quem Salomonem fuisse putat cum aliis, eumque sequuntur Timotheus, Ephesiorum Episcopus, Aristippus iunior, Euander, filia C. Laelii Sapientis, quae filiarum educationi diligenter prospexit, Gracchi fratres, C. Iulius Caesar, M. Aurelius Antoninus, Aur. Alexander Seuerus, Constantinus Magnus, [cui crudeli, ambitioso, sanguineque hominum polluto viro, qui Licinium, Crispum, Licinianum, Faustam, aliosque amicos interfecerat, *eximiam pietatem* Auctor tribuit] (p. 73.) Honorius, Scyles,

Scytharum princeps, Eurydice, mulier Illyria, quam Plutarchus ſcribit filiis artes tradidiſſe, Soſipatra, Sicilius, ſiue Siſyllus, antiquus Britonum rex, Zenobiae ex Odenato filii, Herennianus et Timolaus, Athaloricus. — Magnam prae ſe fert hic libellus eruditionis ſpeciem, multorumque librorum cognitionem oſtentat. Quam licet in aliis libris Auctorem probaſſe viris doctis non ignorem, idem tamen in hoc libro ſine vllo fructu eam expromſiſſe videtur. Nam primum tanta eſt animaduerſionum, quas narrationi ſubiunxit, copia, vt ipſam narrationem fere verboſo ſermone illae ſuperent. Porro easdem tales eſſe vidimus, quales cuiusque argumenti libello, modo vnum nomen hominis occurrat, appingi poſſunt. Quos (p. 81.) laudat de Scytharum origine, ſedibus, ritibus, ſcriptores nonne in quocunque alio libro eodem iure appellabuntur, modo Scytharum nomen appareat? De Conſtantino M. ſacra Chriſtiana amplexo quid opus fuit (p. 74.) tot ſcriptores ad teſtimonium vocare, cum tota haec res non pertineat ad argumentum, quod Auctor ſibi explicandum ſumſit? Quis, ſi librum hunc

in

in manum sumit, exspectat (p. 47.) disputationem de commentariis de vita Caesaris, quos Iulio Celso quidam tribuunt? aut desiderat (p. 48.) eos cognoscere, qui de origine gentis Iuliae scripserunt? Similia exempla vide p. 55. 60. 68. 92. Quasi vero omnia, quae de his viris Vir Cl. cognita haberet, effundere debuisset, nec potius ea delibare, quae rem propositam illustrarent. Denique quid prosunt tot auctorum nouiciorum nomina, quorum posteriores semper priorum libros descripserunt, cum tota res melius vno loco veteris scriptoris, quo tota disputatio nititur, quemque hi omnes laudant, effici possit? Solent ita, inquis, viri eruditi. hic mos est amplissimorum in Academiis professorum. — Audio, et has opes contemno.

Me mea paupertas vitae traducat inerti!

II. *Ioannis de Curiis Dantisci*, Episc. olim Varmiens. poemata et hymni e bibliotheca Zaluſciana: recensuit, prooemium adiecit *Io. Gottlob Boehmius*, Historiogr. Sax. Hist. Prof. Lips. Past. Arc. Vratislauiae, ap. Hornium. 1764. pl. 22. 8. Natus fuit hic poeta, qui paullo ante obitum vitam suam ipse versibus descri-

psit, (v. p. 168.) Dantisci anno seculi XV. octogesimo quinto. Rei poeticae tam felicem operam dedit, (quidni enim credamus, et Bacchum et Venerem, quae numina ille iuuenis coluit, excitasse ingenii vires?) vt cum Richardo Bartholino et Eobano Hesso, quos illa aetas habebat claros poetas, saepe de ingenii laude contenderet. Mox innotuit Sigismundo, regi, illique in quamplurimis legationibus obeundis tum prudentiam et probitatem, tum omnium fere totius Europae linguarum scientiam probauit. Hac virtutis praestantia factum est, vt a Maximiliano, Caesare, in Vindobonensi congressu patricia et equestri dignitate ornaretur: quos honores auxit Carolus V. Tandem etiam, postquam per plures annos sacerdotium satis tenue Colambae habuerat, praesulatum Culmensem et tum Varmiensem nactus est. Obiit anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo octauo. — Haec, quia minus omnibus notum esse credebamus viri nomen, excerpere lubuit ex elegantissima praefatione, quam V. C. *Boehmius* huic libro praefixit, et in qua disputat suauiter cum de vita Dantisci,

tum

tum de carminibus. In vniuersum, dicit, poetam ingenii foecundi facilitatem secutum, inter grauissima etiam negotia lusisse versibus atque inter equitandum carmina composuisse. Quo facilius, pergit, potuit labi aliquando in leuioribus, vt in syllabarum mensuris, praesertim is, qui sententiarum neruos potius, quam orationis phaleras consectaretur. Praeterea si quis cogitat, quot et quantis negotiis distentus fuerit, ne si morosissimo quidem iudicio est, verborum incuriam in eo exagitabit. Elatum Dantiscum esse dicit in Heroicis, in Elegis lenem, acutum in Epigrammatis, in Hymnis eundem Prudentium aemulari. Licet vero carmina Dantisci iam a Stanislao Hosio edita sint, Cl. Boehmius tamen e bibliotheca Zalusciana codicem nactus est, qui ei multifariam profuit. Inde hanc nitidissimis formis descriptam editionem adornauit. Carminibus adnotationes adiecit, non tales, qualibus Lotichii carmina obruit nuper Belgium, sed docta breuitate commendabiles. In his aut vnde carmina antea abdita depromserit, narrat, aut alia monet, quae curiosi lectoris animum delectant. De-

nique

nique a V. Cl. additus est liber adoptivus, qui carmina honori amicitiaeque Dantisci a Sabino, Ioanne Secundo, aliisque dicata exhibet. Equidem laetor, virum, quem non contemnendum inter poetas locum tenere noui, aliorum etiam carminibus vulgandis bene de litteris Latinis mereri studuisse, iucundeque Musarum delubris munuscula intulisse.

III. De lectione poetarum recentiorum pictoribus commendanda disputat, munus profess. Phil. et Eloqu. in Acad. Fridericiana auspicaturus, *Io. Georgius Iacobi.* Halae 1766. pl. 5. 4. Multum adiuuantur pictorum ingenia carminum praeclarorum lectione, nec sine fructu illi poetas consulunt, vt olim Phidias in Ioue Olympio effingendo Homerum auctorem magistrumque secutus est. Quanto inferior est Guerchini tabula, quae Didonem exspirantem exhibet Virgilii versibus! Magna vero laus debetur iis pictoribus, „qui fauore „Gratiarum adiuti in Parnasso iuueni„les annos egerint, qui dulcia poeta„rum carmina ita in animo habeant, ita „ante oculos ponant, vt in pingendis

„tabulis

tabulis ipsi poetas se praebeant, nec „ delectare solum, sed mouere quoque „ spectatorem conentur. „ Inprimis quantum lectio poetarum pictorem iuuet, licet ex iis tabulis cognoscere, quarum argumentum e doctrina Christiana petitum est. Conspicimus ridiculas daemonum imagines: non quiuis eadem arte coelestes genios pinxit, quae in Caroli Bruni operibus apparet: neque omnes aut Christi aut Mariae imaginibus eam, quam debebant, cum dignitatem, tum maiestatem addere potuerunt. Quot vero magnificos vel solum carmen, quo noster Klopstockius Messiam cecinit, versus habet, quibus cognitis in illis pingendis mirifice acuitur, alitur, iuuatur pictorum ingenium! Eundem vsum lectio poetarum pictori in profano argumento praestat. Grata Musis est varietas. Veterum fabulas recentiores poetae non vno modo exornarunt et collocupletarunt. Pulcherrimam Bacchanalium descriptionem Ouidius obtulit iis, qui ea primi pinxerunt. Multa vero Politianus egregiis versibus Italicis illis adiecit, quibus bene pictor vtetur. Fabula Endymionis cantata est a multis. Qui vero legerit eos versus, quos

Tasso-

Tassonius carmini iocoso de Situla rapta intexuit, nae ille valde illam a recentiore poeta exornatam esse intelliget. Alio modo Bernisius historiam eandem narrauit: hos suauissimos versus conferet pictor cum illis, atque attenta vtriusque poetae comparatione instituta, licet antiquissimam fabulam pingat, novitatis tamen gratiam picturae conciliabit. Hac igitur ratione si vti voluerint pictores nostri, et argumenta sacra minus ridicule tractabunt, et in antiquorum poetarum fabulis pingendis fastidium euitabunt, summamque varietatem, iucundamque inuentionum copiam discent. Quam necessaria vero iis poetarum lectio sit et vtilis, multis exemplis egregie docet doctissimus huius libelli Auctor, quem a Maximo Rege donatum sibi gratulari Fridericianam si dixerim, quomodo vereor, ne hoc iudicium magis amicitiae, quam veritati, me dedisse quisquam putet? Neque enim ideo optimum virum laudo, quia amo, sed ideo amo, quoniam ingenii et virtutis illius praestantiam cognoui et perspexi.

CON-

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS III. PARTE I.

CONTINENTVR.

X. *A.*

CORRIGENDA IN P. IV. VOL. II.

p. 386. l. 9. l. *additae.* p. 392. l. 4. l. histrioniam. p. 398. l. 12. l. *quinque epist.* ipsi *libro* pr. l. 16. l. *vino* p. *viro.* l. 28. l. *sunt, ingeniis iud.* p. 403. l. 14. l. *licet eum.* p. 412. l. 4. l. *qui* p. *quod.* l. 25. l. *vol. quis est, qui* — p. 424. l. 5. l. *quae* p. *qua.* p. 427. l. 10. l. *ostentet.* p. 430. l. 5. l. *illi* p. *vlli.* p. 436. l. 13. l. *quo* p. *qua.* p. 438. l. 14. l. *euitasse.* p. 441. l. 21. l. *patriae augendae.* p. 442. l. 25. l. Hornius. p. 450. l. 13. l. *cuique* p. *cuidam.* l. 20. l. vixerunt. p. 457. l. 14. l. *quas.* p. 470. l. penult. l. *cognoscamus.* p. 477. l. 7. l. *accepit.*

ACTA LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS III. PARS II.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIϽ IϽ CC LXVI.



I.

Verſuch einer Allegorie, beſonders für die Kunſt.

ὧδε ἐγγράψαμεν, καθόσον ἦν ἐφικτόν.

Theoph. Ereſ. de Sign. pluu.

Dresden, in der Waltheriſchen Handlung. 1766. Alph. 1. 4.

Saepius ad nos perferuntur virorum doctorum, litterarum ſortem lugentium, atque feliciorum patrum memoriam celebrantium, querelae, bono quidem illae ex animo profectae, ſed, niſi valde erro, minime neceſſariae. Nam quod multo minorem litteris noſtra aetate, quam auorum tempore, honorem haberi ita ſibi perſuadeat, vt barbariem quoque, omnisque eruditionis liberalis inſcitiam contemtumque his terris imminere triſti voce canant: ideo viros bonos ſic iudicare exiſtimo, quoniam, quid litterarum ambitu contineatur, non

recte intelligunt, omnemque eruditionem cum arctis Academiarum finibus includi, tum Graecae et Latinae linguae cognitione abſolui arbitrantur. Atque equidem facile largior, plures fuiſſe olim in Academiis, qui et docerent et diſcerent litteras, atque etiam ſcriptis earum doctrinam traderent. Erant enim Academiae vnicae fere eruditionis ſedes, nec alio loco lubenter Muſae habitare velle videbantur. Iam vero noſtra aetate litterarum ſtudium ita cum reliquis cuiusque prouinciae ciuibus communicatum fuit, vt, quod in Academiis fruſtra plerumque quaerimus, artium et elegantioris doctrinae ſtudium nunc in aulis et caſtris obſeruemus. Quodſi etiam verum eſt, quod nonnullos dicere audio, eos libros, qui in Academiis ſcribantur, magis ob eruditionem et laboris, quam praeferunt, patientiam, quam ob venuſtatem et elegantiam, quam non doctrina, ſed vſu et conſuetudine cum viris, vt breuibus dicam, a cathedrae vmbra remotiſſimis aſſequimur, commendari, nihilque eſſe, quod *profeſſoria lingua*, cuius veſtigia in quamplurimis libris inueniantur, magis diſpliceat venuſtiori lectori: cur,

cur, pauciores nunc in Academiis libros, quam in aliis vrbibus, scribi; dolere debeamus; caussam video nullam. Quod vero ad alias, quas putant sese habere, doloris caussas attinet; fateor, plures etiam fuisse ante centum annos libros Latino, quam vernaculo, sermone compositos, nec facile viri eruditi nomen alicui tributum, nisi is, se Latinam linguam tenere, aliquo documento ostendisset. Immo eo puri castique sermonis amor progressus est, vt magnum crimen censeretur, quidquam dixisse aut scripsisse, quod non idonei auctoris exemplo firmaretur. qui quidem amor valde restinctus esse videtur. Vbi enim hodie similis res accidit illi, quam olim Vniversitas Halensis vidit? quae, cum Bodinus aliquis in oratione diceret: *Recordate, Musicantes nostri*, Christoph. Cellarium toto corpore cohorrescere, et paullo post, cum iste pergeret: *sed hoc tum temporis nondum erat modi*, animo deficere conspexit. Licet vero haec ita sint, multo tamen plura hodie ad Latinae orationis laudem requiri arbitror, quam verborum optimorum copiam. Nam vt plurimi olim hac fere contenti erant: ita nunc, vt, qui Latine scribat, Latine

quoque cogitet, i. e. earundem virtutum praestantiam scribendo referat, quam in Romanis auctoribus admiramur, eandemque cum vim verborum sententiarumque tum elegantiam, vrbanitatem atque suauitatem felici imitatione exprimat, ii quoque postulant, qui nunquam hoc sermone vtuntur. Praeterea eos habemus nunc vernaculos scriptores, quorum non vidit maiorum aetas similes, quibusque quis ideo mediocres alios praeferat, quia Latina lingua scripsérunt? Contemplemur paullum eruditionis in Germania conditionem, comparemusque, quae hodie scribuntur et dicuntur, cum iis, quae ante centum annos scripta et acta sunt. Quis non de diuinis rebus multo nunc liberius iudicari et rectius videt, librorumque sacrorum eam nunc interpretationem reddi, quae vnice vera sit? Philosophiae non solum multo elegantior nunc est facies, pristinae barbariei sordibus detersis, sed maior quoque vtilitas, amplior que multo, si Physica consideres, ambitus. Nihil dicam de historia, quae, quo plures regiones innotescunt, eo latius imperat, quoque alienius nostrum ingenium a superstitione, quo plenior animus

mus multarum rerum scientia, eo certior est, eoque vtilior; nihil de poesi, aliisque, quae humanitatis nomine comprehenduntur, eruditionis liberalioris partibus. Nam et praeclara edidit Germania exempla, et ingenio nostro, aliarum nationum monimentis ad nos allatis cognitisque polito, praecepta litterarum ad fontes suos reducta fuerunt, illorum origo et necessitas ex rerum natura deriuata est, et certae, ad quas iudicia nostra dirigantur, regulae constitutae sunt. Nihil vero incrementa litterarum clarius ostendit felicissimo illo connubio artium cum reliquis doctrinae studiis. Quam illud necessarium sit, quantum commodum litteris afferat, et quam amico societatis vinculo omnis ingenuarum et humanarum artium doctrina contineatur, non opus est nunc pluribus ostendere. Illud dicimus; laete efflorescere nunc artium studium in Germania, atque non solum eos, qui eruditi appellantur, de pictorum sculptorumque operibus recte iudicare incipere, sed etiam eundem pulchritudinis sensum paullo latius, cum libris, tum praestantissimis institutis, diffundi. Quid non Germania sperare

 sibique

ſibique polliceri poteſt de Dresdenſi artium Academia, ſummi et immortalis viri, Hagedornii, gratia, ſtudio atque ingenio inſtituta. Quam praeclaros vero de artibus libros inde ab aliquo tempore accepimus, nemo ignorat. Certe, quae propria videbatur Italis atque Gallis laus, ita praeclarorum ingeniorum opera nobiscum communicata eſt, vt accuratius multo a noſtris diſputetur de plurimis rebus, quam a quoquam illorum factum eſt, qui ſe ſolos regnare arbitrabantur.

Sed inter eos, qui hanc eruditionis cum artibus coniunctionem libris iuuare atque augere ſtudent, principem locum iure ſuo obtinet *Winkelmannus*; quem non ſolum accurata doctrina et copioſa, atque rara antiquitatis ſcientia, ſed etiam ſenſu omnis pulchritudinis, artiumque exquiſita cognitione praeditum eſſe, ex iis, quae ſcripſit, clariſſime patet. Praeterea verſatur ille in ea vrbe, quae omnium artium monimentis abundat, nouamque quotidie ingenioſo homini materiam praebet, artium et litterarum ſtudia ornandi, poliendi ingenia hominum, ſenſimque nos ad illud faſtigium adducendi, quo Graecos et Romanos

manos aeterna gloria collocauit. Huic beato secessui debemus etiam hoc, quod in manibus habemus; de Allegoria opus, cuius Auctor non poterat facile alio loco amplissimam doctrinam melius explicare, quam ibi, vbi tot monimenta, statuas, anaglypha, gemmas, numos inuenire, contemplari et examinare licet. Atque hinc etiam factum fuit, vt plura in hoc genere Vir Cl. praestaret, quam quisquam alius, qui eandem rem sibi exponendam sumsit. Non negamus quidem, saepiusculo Auctorem nobis non omnino satisfecisse, atque in aliis certiorem rationem, in aliis copiosiorem enarrationem nos desiderare. Quare neque, quae inter legendum nobis in mentem venerunt, litteris consignare dubitabimus. Quod non eo consilio facimus, vt operis praestantiae, laudibusque *Winkelmanni* aliquid detrahamus, sed vt attente nos librum perlegisse et examinasse pateat. Non solemus librum perlegere accuratius, nisi multa ille bona habeat, quibus et erudiamur et delectemur.

Iam vero de ipso opere in vniuersum monendum est, frustra nos in eo quaedam praecepta de Allegoria quaesiuisse, quae et debebat Cl. *Winkelmannus* et

poterat exponere. Quis enim non speret, se de recto vsu Allegoriae nonnulla lecturum esse. Debebat Auctor ostendere, quibus inprimis locis Allegoria adhibenda sit, certosque quasi fines ponere, intra quos sese illa contineat, ne artes, quibus delectatio proposita est, aut fatigent animum, aut pro iucunda imaginum copia obscura praebeant aenigmata, vno verbo, etiam hac in re quem modum tenere artifices debeant, docere. Quod cum ab illo non factum sit, ablegamus lectores ad Du Bosium (*) et summum virum, Hagedornium (**), qui plenius et melius reliquis de hac re exposuerunt. Porro, nisi valde erro, non omnia symbola, quae Allegoria picturae praebet, sculpturae quoque conveniunt: sed sunt non pauca, quae in illius operibus displiceant, et in huius monimentis locum sortiantur aptum. De harum igitur imaginum diuersa ratione perutilis ab Auctore disputatio institui poterat. Denique aliorum iudicio relinquo, quid de *Winkelmanni* erga Allegoriam studio sentiendum sit.

Illi

(*) *Reflexions critiques* P. I. f. 24.

(**) *Betrachtungen über die Mahlerey.* p. 458.

Illi videant, vtrum Allegoriae amor, qualem praefert, artibus prosit, an pro allegoricis ornamentis hieroglyphicam picturae formam praebeat: iidem etiam iudicent, an in veterum monimentis explicandis sollerter vbique Allegoriam distinxerit a fabula. Nobis spatio angusto inclusis digito haec tantum indicare licet.

Totum opus in capita XI. descriptum est, quorum in *prima* Cl. Auctor de Allegoria in vniuersum ita disputat, vt notionem illius primo loco tradat. Allegoria, inquit, est indicium notionum per symbola, ideoque communis omnium lingua, maxime artificum. Cum enim ars atque inprimis pictura muta, vt Simonides dixit, poesis sit, habeat illa oportet symbola ficta, id est, imaginum ope quasi corpus addat cogitationibus. Quoduis allegoricum signum ea contineat, quibus res ab omni alia distinguitur, quoque illud simplicius, eo facilius est cognitu: clara igitur sit Allegoria per se, nec titulo adscripto opus habeat. His dictis progreditur ad Allegoriam antiquorum, Graecorum inprimis. Natura, pergit, ipsa magistra fuit Allegoriae, magisque hic sermo p. 2-32.

sermo ipsi proprius esse videtur reliquis cogitationum signis, postea inuentis. Verum enim Allegoria rerum imaginem praebet, atque cogitationes pingere procul dubio antiquius est, quam easdem scribere. Immo vestigia amantis symbola naturae deprehendimus in genere, quod, qui primi res aliquo nomine appellauerunt, verbis adiunxerunt; quodque considerationem naturae aut agentis quidquam aut patientis testatur. Ab Aegyptiis Allegoria magis amabatur, quam ab aliis populis: quanquam antiquissima symbola in libris tantummodo recentioribus seruata fuerunt, nec in vetustis monimentis apparent. Oculus notabat prouidentiam, Leo vigilantiam, Elephas timiditatem. [Elephantem, quem variarum notionum signa praebuisse docet Horapollo (*); vetustissimis temporibus Aegyptiis plane incognitum fuisse, nec in vllo monimento Aegyptiaco, licet varia animalia exhibeant illa, apparere, Cuperus (**) scribit.] His, quae intelligi poterant, signis addita postea sunt symbola obscura, longiusque a rebus

(*) in *Hieroglyph.* L. II. c. 84.

(**) in *Exercit. I. de Elephantis.* c. 3. p. 32. in *Thes. Sallengr.* T. III.

bus ipsis remote, quorum exempla monimenta Aegyptiaca exhibent, et in quibus explicandis frustra laboramus. Graecorum antiquissimi sapientes doctrinam quasi aenigmatum velo contexere: post, sapientiae studio aucto, velum, quod illam difficilem cognitu reddebat, demebatur: habitu quidem alieno vestita nunc eadem apparebat, sed ita, vt agnosci posset ab amicis: hac forma illam Homerus nobis ostendit. Eandem rationem antiqui poetae et philosophi secuti sunt, praecipue, qui sententias quasdam palam exponere dubitabant. Antiquissimi artifices, cum pulchritudo nondum vnicus artis finis esset, in Allegoriae studio magis, vt symbola rerum, quam vt pulchra symbola exhiberent, operam dederunt. Deinde hauserunt ex Homerico fonte, illiusque fabulas expresserunt. Hoc studium tantum fuisse putat Cl. Auctor, vt praeter pauca monimenta, quae Alexandri M. historiam praeferunt, nullum exstare dicat, cui quidquam illorum temporum, quae fabularum ornamentis carerent, mandatum sit, atque hoc tanquam certum praeceptum obseruandum esse doceat, quoties obscura et ignota imago occurrat, illius

inter-

interpretationem e temporibus fabulosis seu heroicis repetendam esse. [Nescio, an recte animum Viri Cl. assecuti simus. Nam si nullum antiquum monimentum veram historiam continere dicit, haec illius sententia profecto compluribus gemmis sculptis refutatur. Quis non Othryadis summam fortitudinem in gemmis expressam recordatur? In alia memini Christium Darium Hystaspis filium ostendere, hinnitu equi sortem regni capessentem. Atque similes historici argumenti gemmae caelatae exstant permultae.] Haec igitur causa adductus in notissimo illo clypeo votiuo argenteo Musei regis Galliae, non Scipionis Africani continentiam exhiberi putat, quae est vulgaris sententia, sed Achillis cum Agamemnone reconciliationem, Briseide restituta. Ex Homero desumtae imagines mox nouas pepererunt. Quod vero ad notiones vniuersales, quales sunt virtutes et vitia, attinet, paucae antiquissimis temporibus certis symbolis indicatae sunt. In vniuersum olim heroum tantum virtutes laudabantur et colebantur, quae veri honoris amorem inspirabant, animi magnitudinem augebant, ipsamque vitam contemnere docebant.

cebant. In numo Hadriani mulier sedet, dextram porrigens, et sinistra sceptrum tenens, cum verbo: PATIENTIA. Sed procul dubio hoc verbum fraude effictum fuit. Neque Constantiae veteres certam figuram tribuerunt. [Memoria Virum Cl. fefellit. "In nu-„ mis Augustorum, inquit Montefalco-„ nius (*), qui etiam imagines exhi-„ bet, Constantia nonnunquam occurrit.„ In postica numi Tiberii parte mulier„ est, hastam tenens dextra et cornu co-„ piae sinistra. In numo Claudii se-„ dens, dextram manum sublimem te-„ net et digitum erigit.„ Veste militari induta, galeamque gestans, in numo eiusdem Imp. sinistra hastam tenet, sublataque ad vultus altitudinem manu digitum, vt in praecedenti numo, erigit.] Neque aliae quaedam notiones, vt felicitas, ἡδονὴ, virtus, ab antiquis formis certis propositae fuerunt, neque a nobis luculentam formam accipere possunt. Illi etiam affectus, qui non ad vnum, sed ad plures spectant, difficulter pinguntur, atque ideo odium minus clare, quam ira effingi potest. Virtutes etiam quaedam facilius formam admit-

(*) *Antiqu. expl.* T. I. P. II. p. 358.

admittunt, quam opposita vitia, vt iu- stitiae et iniustitiae exemplo patet. Scelerum imagines in nullo antiquorum monimentorum apparent. neque enim vitiis, sed virtuti monimenta ars consecrauit, atque, summo sceleris gradu expresso, nobilem delectationem, pictura quam quaerere debet, euanescere, quis non videt? Imago inuidiae ab Nasone versibus egregiis picta est, sed pictori minus benignum argumentum eadem praebet. His subiungitur enarratio variorum symbolorum, quibus antiqui vsi sunt. Praeter alia marmor, in quo vrbes quaedam Asiae, terrae motu concussae et Tiberii beneficio restitutae, apparent, accuratius describitur, quam a Gronouio factum est. Hinc ad recentiora tempora Auctor transit, sententiamque primum de libris, quibus Allegoria explicata est, tum de artificibus, dicit. Pierius Valerianus maxime Aegyptiorum symbola spectauit, paucaque Graecorum collegit; monimenta vero antiqua plane neglexit, friuolis coniecturis saepe indulgens et sine necessitate nugax. Hunc secutus est Caesar Ripa, qui neque antiqua opera consuluit, nec raro ridiculus fit. Non me-

liorem

liorem laudem meretur Boudardus ob plurimos, quos commisit, errores. Quod ad artifices attinet, ii Raphaëlis tempore aureaque artium aetate symbola ex antiquis monimentis petebant: postea vero, his exemplis neglectis, turpiter peccauerunt. Quae Sixti V. tempore excogitata sunt Romae et perfecta symbola, optimarum rerum ignorantiam foedamque barbariem testantur. Vltima huius capitis pars complectitur nouas Allegorias inueniendi rationem. Subsistit Auctor in Allegorijs ex antiquitate repetendis, idque triplici modo fieri docet. Antiquis symbolis nouam vim tribuere possumus, vulgoque notis nouum sensum, vt saepe versum aliquem antiqui poetae ad rem nouam, et inexspectatum sensum referimus. Tum Allegorias ex moribus, ritibus, antiquisque prouerbiis, modo ne sint nimis recondita, deducimus. Denique nobis materiam offert historia antiqua, cum heroica, tum vera. Hinc similes casus aut rei aut loco applicemus, modo aut sit res illa vnica, cuique nihil simile accidit, aut primaria imaginis figura ex antiquis monimentis nota sit. Allegoria ipsa sit simplex, id est, rem

 quam

quam paucissimis signis indicet: sit clara: sit iucunda. Nam finis artis est delectare. Inde eiusmodi imagines eligi debent, quae nihil indecori, turpis et terribilis habeant. Differt ars a poesi, neque terribiles imagines, quibus pingendis haec excellit, illi conueniunt. Saeua necessitas Horatii, si pingatur, non magis nostros oculos auertet, quam *furor impius saeua sedens super arma*, aut discordia Petronii. [Vereor, ne delicatior sit Vir Cl. quam par est. Equidem non nego, omnia diligenter euitari debere a pictore, quae fastidia moueant, quaeque oculis obseruata molestiam in animo renouent, quam in ipsa natura odori, sapori, aliisque sensibus adferunt. Sed probe credo distingui debere picturas, fastidii genitrices, ab aliis, quibus res terribiles exhibentur, quibusque non aliter nos affici putamus, quam tragoediis, quibus illacrimamus ita, vt ipsae hae lacrimae nos voluptate perfundant. Quis neget, tartarum plenum esse terrore? Iam vero et antiquis artificibus et recentiorum quibusdam pulchram artis ostendendae materiam praebuit. Quis Michaelis Angeli tabulam, qua summum Dei iudicium expressum

est,

est, nullo modo terribilem esse dicat? Porro eas res, quibus vna cum terribili specie aliqua magnitudo adiuncta est, si minus conuenire picturae dicamus, nobilissimis profecto argumentis artem priuabimus. Certe, si de meo sensu iudico, nihil video, aut in pictura Belli Virgiliani, aut Necessitatis Horatianae, quod oculis animisque cuiusquam molestiam aliquam adferat. Atque complurium eundem fuisse sensum, patet exemplo Apellis, qui bellum in tabula depinxit, quam Augustus in foro suo proposuit.]

In *Cap. II.* agitur de Allegoria deorum. p. 33-35. Hic docetur, quomodo dii effingendi sint, quaeque iis symbola tribuenda. Hac scientia artifices carere nequeunt, cum vt pingere possint historiae fabulosae partes, tum vt notionum vniuersalium inde petant symbola. Neque vero Vir Cl. omnia colligere voluit, quae ad imagines deorum pertinent, sed eas tantummodo, quae raro occurrunt, quarumque a paucis scriptoribus mentio facta est. [Sunt tamen, quae inprimis commemorari debebant, non pauca neglecta. Vbi de Musis loquitur p. 38. Auctor, maxime signa cuique propria

 aliaque

aliaque explicari debebant, quae olim Christii erudita diligentia obseruauit (*). Pennas in capite Musarum in anaglypho Musei Veronensis obseruauit iam et de certamine Musarum et Sirenum egit Iosephus Bartolus (**). Vbi Iunonis mentio fit, exspectauimus quoque Iunonis sospitae cornutae, cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, [vt Cicero eam describit (†)] imaginem, quam Addisonius inter Florentina monimenta aere effictam vidit (††), quaeque in nummis etiam apparet. Rarius conspicitur Nemesis, quae in gemma nauseabunda et velut in sinum exspuens (†††), oculos spectatoris moratur. Herculem dicit Vir Cl. Allegoriae
p. 45. scrutatori parum materiae praebere. Nos recordamur gemmam a Maffeio datam, in qua Hercules apparet, gestans hume-

(*) in *Imaginib. Musarum e simulacris antiqu.* Lips. 1739.

(**) v. *Dissert. geminam Italico sermone scriptam.* Diss. I. p. 104.

(†) de Nat. Deor. I. c. 29.

(††) v. *Remarks of Several parts of Italy.*

(†††) v. *Dactylioth. Lippert. Millier. II.* p. 29.

humeris non, vt quidam putant, Amorem, sed, vt praecipue ex alis longis apparet, Victoriam. In marmore, quod Boissardus exhibuit, apparet Hercules, altero brachio leonis exuuias tenens, altero clauam, quam illi Cupido auferre conatur: ante illum est Priapus, cuius ad pedes aquila, pedibus fulmen tenens, cum aliis symbolis. Aliam gemmam nobiscum communicat Begerus, in qua Herculis, claua deposita, et genu altero procumbentis humeris insidet Cupido sagittam tenens. Inprimis, vellem, recordatus fuisset V. Cl. Monimenta Brixiana (*) quae varia offerunt symbola, quibus librum suum augere poterat. Praeter alia apparet ibi Fortuna, capite radiis et floribus cincto, humi sedens, brachio sinistro, sertis redimito, vasi innitens, sceptrum dextra tenens, iuxta rota et circino iacente, fidesque sub specie foeminae velatae in ara apposita sacra facit. Praetereo marmor, in quo duo pueri nudi, alter capite alato et coronato malum punicum dextra, sinistra flores gestat:

 alter,

(*) *Octauii Rubei Monimenta Brixiana seu Ciuitatis Brixiae antiquitates.* in *Graev. Thes. Italiae.* T. IV. P. II.

alter, alis oculis distinctis, et oculis fascia obligatis, sinistra arcum gestat, dextra illius humerum tangit. Porro conspicitur Tempus, vt vir barbatus, spicis rosisque coronatus, veste ocellata indutus, pedibus alatis, facem ardentem, quam serpens stellis signatus cingit, dextra et sinistra formam tenens. Occurrit etiam Mercurius, vnicum in fronte oculum habens et stellam in pectore, altera gladium tenens, altera caduceum, iuxta aram, cui imposita duo vasa, quorum alterum nummis plenum, noctua custode addita, alterum floribus, incubante gallo gallinaceo (*). Memorabilis quoque est Iuno, myrto coronata, et ornamentum gemmis consertum in fronte praeferens, sinistram papillam nudans, cor manu dextra, gremioque iugum, cuius vtrumque caput roseo serto redimitum, tenens, pauone ad pedes accubante. Quid multa? Non memini vllam monimentorum antiquorum collectionem tot allegoricis symbolis abundare, quot Monimenta Brixiana exhibent. Plura, quibus hoc caput augeri

(*) conf. Valesium et Vinutum ad *Museum Cortonense*, t. 31. et 32.

augeri potest, vide in libro Gallico ab eleganti scriptore allata] (*).

Cap. III. habet Allegorias, quibus notiones vniuersales adumbrantur, v. c. anni et diei tempora, quorum symbola in gemmis quoque exstare meminimus (**), virtutes, vrbes, regiones, mors, aer, bellum, foecunditas, et complura alia, quae tacemus. Est enim horum symbolorum magnus numerus ab Auctore collectus, quanquam a nobis repeti quidquam nequit. Omnia e nummis, gemmis, statuis, anaglyphis docte illustrantur. [addi tamen et hic quaedam posse non negamus. Vbi Auctor dicit, Occasionem a Lysippo sub forma pueri pedibus alatis globo insistentis summis digitis, propositam fuisse, meminimus, nos conspicere (†) Occasionem latentem sub imagine iuuenis nudi, laeua manu bilances tenentis, alteramque earum indice digito dextrae prementis, magnas habentis in humeris alas, exiguas in pedibus, magis curr- p. 56-57. p. 65.

 renti,

(*) *Nouveaux sujets de Peinture & Sculpture.* (a Paris. 1755.)

(**) vid. *Museum Odescalcum.* T. II. t. 83. 84. 97.

(†) in *Marmor. Taurin.* T. II. tab. 2.

renti, quam volanti similis. Pietatis symbolum clarum habet nummus Herenniae gentis; in altera parte homo conspicitur, alium humeris portans, quem hi Aeneam putant Anchisem gestantem, illi Amphinomum Siculum, qui, Aetna incensa, patrem vrbe Catana eportatum seruauit, in altera caput cum epigraphe: PIETAS. In numo Antonini Philosophi tenet CLEMENTIA pateram et sinum pandit. Placet etiam Pax in nummis Antonini Philosophi, altera manu cornu copiae tenens, altera facem, et armorum cumulum incendens. Pro
p. 59. symbolis poetarum vulgaribus afferendus erat numus Titiae gentis (*), qui in altera parte caput poetae barbatum cum fascia, cui duae alae additae sunt: in altera pegasum habet. Libertatis symbola augeri poterant e columna Theodosiana, vbi iuuenis Scytha capreolum praecipitem deiicit, quod symbolum esse Desperationis Scytharum, qui libertatem amiserant, docet Claud. Franc. Menetreius (**). Mensium sym-

(*) v. Vaillant. *Num. Famil. Roman.* T. II. p. 473.

(**) v. *Columna Theodosiana, — a Gentile Bellino delineata,* (Venet. fol. oblongo) n. 39.

ſymbola, quae Auctor praeteriit, praebet Calendarium Romanum ſub Imp. Conſtantio, circa a C. 354, compoſitum et a Petro Lambecio e codice bibliothecae Caeſareae editum (*). Alibi vidimus aram Fortunae oblongam, duplici ſidere addito, et locuſtis adiunctis; quae Moderationis ſymbolum creduntur (**). Veniunt plura alia in mentem, quae non licet nunc adferre.] His ſymbolis a profanis populis inuentis attexuit Vir Cl. alia, a primis Chriſtianis vſurpata.

In *Cap. IV.* proponuntur Allegoriae p. 88-92. a rebus geſtis, atque a natura e fructibus regionum petitae. Illae non admodum ſunt frequentes, quia magna facta raro vna imagine indicari poſſunt, et quia magnorum heroum facta talia ſunt, vt vix ſignis ipſis propriis indicari queant, id quod in rerum nouarum inuentoribus beneque de humano genere meritis viris fieri poteſt. Nam ſi clarorum ducum res geſtas nobiscum conſideramus, nullum ſuccurrit tam luculentum ſignum, quale eſt celebre illud θεώρημα, quod

(*) v. *Graev. Theſ. Antiqu. Roman.* T. VIII. p. 96. ſequ.
(**) vid. *Muſeum Cortonenſe.* t. 45

quod Pythagoram indicat. Quemadmodum Gassendus, Hugenius et Cassinus satellitibus Iouis et Saturni facile notantur: [vt Archytas in nummo Tarentinorum cubo et cylindro, quorum inventor dicebatur, aut vt a Samiis Pythagoras sphaera, qui virga tangebat stellam Veneris, quam fertur primus obseruasse,] ita difficilior res erit, si Carolum XII. aliquo symbolo indicare volueris. Apes in numis Ephesiacis notant Musas, quae hac specie Atheniensibus Ioniam petentibus viam monstrabant. Capricornus in numis Augusti indicat, illum sub hoc signo natum esse. [hinc in vniuersum Capricornus pro felici omine et symbolo ab aliis quoque Imperatoribus vsurpatus fuit (*). Quae capricorno addebant, Cornu copiae, globus, gubernaculum, allegorica etiam symbola sunt.] Henna vrbs Siciliae in numis violas amabat, quia illius campi floribus vernis perpetuo vestiti erant. [Gens Valeria numis Martem inprimebat, altero tantum pede armatum. Originem enim ducebat a Sabinis, oriundis e Pelasgis, qui vnum pedem

(*) vid. *Io. Hemmelarium ad num. aur. Imp. R. Iac. de Bie* p. 36.

pedem armabant. Claua et leo in regum Macedoniae numis apparet, quia ab Hercule genus deducebant (*): Athenienſes bouem in numo exhibebant, ob Minotaurum a Theſeo occiſum.]

In *Cap. V.* dantur exempla Allegoriae, quam nomen rerum et hominum praebet. Antiqua aetas talia valde amauit, Aege, vrbs Macedoniae in numis habet capram (αἶξ): Ancona cubitum, quia ἀγκὼν vrbis ſitum refert: vrbs Thraciae Cardia habebat καρδίαν: in tumulo Damalis vitulus reſpiciebat nomen foeminae. [An vero mures, qui in antiquo marmore, quo aedes principum Columnae Romae ſuperbiunt, ſub throno Homeri conſpiciuntur, ad Bratrachomyomachiam reſpiciant, vt Auctor cenſet, vehementer dubito. Nam ſi ſymbolum huius carminis mures eſſe debent, non poterant non ranae quoque addi. Deinde rodunt illi mures volumina quaedam, id quod clarum videtur ſymbolum inuidiae et detrahentis laudibus poetae liuoris eſſe. p. 93-100.

(*) v. Eraſm. Froelichii *Animadu. in quosdam numos veter. vrbium.* (Florent. 1751.)

esse. In vniuersum vero non possum non fateri, hoc Allegoriae genus, quod a nominibus repetitur, admodum ineptum mihi videri, lusumque puerilem redolere. Quare nollem, Vir Cl. illius imitationem commendasset. Antiquorum optimos quoque scriptores ab eiusmodi *labore ineptiarum* sibi non cauisse, multis exemplis ostendi potest (*), quibus tamen rem ipsam minime defendi arbitror.]

p. 101-114. In *Cap. VI.* docetur, colorem rerum, materiam supellectilis, et formam aedificiorum Allegorias non raro apud veteres respexisse: Rhapsodi Odysseam cecinerunt in caeruleis vestibus ob errores Vlyssis in mari, Iliada in rubris, ob caedes ad Troiam. Apollini flauae comae ob solem, cuius erat symbolum, tributae. Pausanias statuam Herculis Hydram necantis ferream memorat, vbi duros labores ferrum indicabat. Supellex veterum, a lampadibus vsque ad arma, allegorica est. Aliam illarum corona oleagina ambit, in alia Pallas stat, atque oleam exprimit. Praeterimus alia vasa et arma, vt galeas, clypeos,

(*) vid. Valkenarium ad *Eurip. Phoeniss.* v. 639.

peos, thoraces. Inter allegorica aedificia eminet templum, quod Romae fuit, Virtutis et Honoris. In campis Marathoniois non procul Athenis Pan in antro colebatur, e lapidibus constructo, qui ad caprarum similitudinem formati erant. [Inprimis huc pertinet templum Vestae, quod rotundum erat, Romae, quia, vt Festus dicit, terram Vesta notat, terra autem rotunda est (*). Quod vero dicit Cl. p. 112.
Auctor, se ignorare, cur Aegyptii fores templorum exornarint capite leonum, causam e Plutarcho docet Emundus Figrelius (**). Symbolum erat leo exundationis Nili, qui mox a solstitio aestiuo, sole leonem ingrediente, crescere incipit.] Symbolicam quoque figuram dicit Auctor sepulchra habuisse, vt Hippolytes Amazonis sepulchrum, quod ad formam Amazonii clypei accedebat, atque poetae Stesichori. [Si modo fabula vera est, in medio tumulo Virgilii fuerunt nouem columnae, procul dubio ideo positae, quia totidem sunt

(*) v. Lipsium de Vest. et Vestal. c. 3. p. 630. in T. V. Thes. Graev.

(**) de Statuis illustr. Roman. L. I. c. 5. p. 30.

funt Mufae, quae vrnam fuftinebant. (*)] Neque folum defcriptio aedium quarundam allegorica erat, fed fingulae quoque partes. In faftigio templorum, Iouis praefertim, aquila fpectabatur. Maxime vero imaginibus inferuiebat columnarum varia ratio. [Bene haec poffunt monimentis Veronenfibus illuftrari (**). Arcus quidam habet in inferiori parte aquilae infigne cum tropaeo. vnde vir doctus putat, C. Marium, qui primus omnium aquilae figno vfus fit, aedificia illa exftruxiffe ad memoriam ftragis Germanis illatae. Taceo alia.] Immo etiam naues in prora animalia varia, vt Delphinum et alia, praeferebant. [Recordamur quoque tria antiqua roftra (†): vnum, cuius extrema pars caput leoninum eft, monftrum habet marinum cum Deo, altera manu clauum, altera pateram tenente: alterum Tritonem habet a latere, qui finiftra manu paruulo Cupidini

(*) v. Capacium in *Antiqu. et hiftor. Campan. Felic. c.* 2.

(**) v. Torelli Saraynae *de Ciuitat. Veron. T. II.*

(†) v. Gauges de Gozze de *Infcriptione Columnae Roftratae.*

dini praeuolanti concham marinam porrigit, dorso gestans Venerem nudam, cum velo a parte sinistra, ab ipsa supra caput retento: tertium a dextra parte praefert taurum marinum vndis innatantem, cui nescio quis insidet: a sinistra pistricem alatam.]

Allegoriae dubiae indicantur in *Cap.* p. 115-
VII. Hoc nomine appellat Auctor ea 120.
symbola, quae recentiores scriptores certis rationibus destituti, merisque coniecturis confisi probabiliter interpretati sunt. Amphora in numis Atheniensium figlinae inuentionem huic vrbi vindicare, Delphinus in numis Etruscis indicare videtur, eos in vrbe maritima cusos esse: idem symbolum putant esse ranam: piscator in celeberrima gemma annulari, qua Michael Angelus vsus est, nomen artificis, qui forte ἁλιεὺς appellabatur, respicit etc.

Has interpretationes excipiunt in p. 121-
Cap. VIII. aliae, quas coactas et falsas 129.
Vir Cl. existimat. Recenset vero et veterum, vt Phornuti, Hygini, Macrobii, Seruii errores, et recentiorum. Papilionem super cyatho, addito pampino, in gemma animam potatoris quidam putant indicare: vrna sepulchralis habet

bet cum papilione porcum, quo Epi-
curaei animum indicari coniicit Fico-
ronius. [haec tamen coniecturae nobis
non adeo ineptae videntur, inprimis si
recordor inscriptionem, a Sponio in se-
pulchro Hispaniae excerptam: *Haere-*
dibus meis mando etiam, cinere vt meo
volitet ebrius papilio. Quis gemmas
antiquas contemplatus est, quin recor-
detur papilionem, tanquam animi sym-
bolum, vario modo effictum esse (*)?
Papilione capiti emortui insistente, quod
meditabundus Philosophus adspicit, con-
siderationem immortalitatis animi indi-
p. 77 cari, ipse Vir Cl. arbitratur. Estne vero
haec gemmae interpretatio multo illa
p. 78 probabilior? Certe, quod putat, in vrna
sepulchrali, vbi Amor papilionem ma-
nu tenet, illique altera taedam arden-
tem admouet, purgationem animae per
ignem indicari, parum illa sententia
placet. Dat idem Sponius duo alia
monimenta, quae illam imaginem il-
lustrare possunt. In altero Cupido Psy-
chen complectitur; facemque accensam
tenet: in altero idem, manu arcum te-
nens,

(*) vid. Sponium in *Miscell.* p. 8. et Gesnerum in *Relation. Gotting. de libris nouis.* II, 2. p. 318.

nens, pharethra prope posita humi, papilionis alas adurit face. Ego igitur nihil aliud, quam amorem ipsum indicari puto, quo animus confectus contabuit.] Alius Sphingem in galea Palladis ideo effictam censet, quia Dea haec in Africa nata sit: sceptrum Iouis Olympici ideo à Phidia e variis metallis putat compositum esse Mazzochius, vt indicetur varium Dei imperium pro ratione bonorum et malorum: falso Wildius dicit pateram in manu Palladis in numis Alexandri M. ludos theatrales indicare etc.

Sequuntur in *Cap. IX.* Allegoriae nobis ignotae. Legimus, quasdam res symbolis ab antiquis expressas fuisse, quae ignoramus: videmus etiam symbola quaedam in monimentis antiquis, quorum sensum non assequimur. Nescimus, quomodo Apelles fauorem pinxerit, quae fuerit imago risus, quam Lycurgus dicauit, quomodo Aristophon credulitatem pinxerit, quam Leochares populo Atheniensium figuram tribuerit. p. 130.

In *Cap. X.* laudantur recentiorum quaedam Allegoriae. Laborem frustraneum indicant Danai filiae aquam haurientes in numo Belgico: fraternum p. 135.

amorem Castor, et Pollux, in aedibus propositi, a duobus fratribus habitatis: Corregius in pictura Ius ardorem amoris ceruo expressit e riuo bibere cupiente. [Non tam exiguum esse censeo bonarum Allegoriarum numerum, quam Auctor censet. Ne quid dicam de bibliotheca vrbis Alexandriae in ducatu Mediolanensi, incendio perdita, sed munere Caroli Bossii redintegrata, et sedecim symbolicis iconibus ornata, quarum interpretationem copiosam dedit Christoph. Giarda (*), qui haec symbola (**) *omnibus, quae circumferuntur, nobiliora atque ex omni parte absolutiora* appellat, licet varia mihi ibi displiceant. Exspectauimus certe hoc loco breuem recensionem ingeniosorum operum Rubensii, le Brunii et Daniel Grani, quibus praestantissimi viri sibi immortalem gloriam comparauerunt. Immo allegoricarum figurarum, quas Raphael inuenit et Audranus radio la-minis

(*) liber inscribitur: *Liberalium Artium et Disciplinarum Icones symbolicae Bibliothecae Alexandrinae elogiis et explication. illustratae.* v. *Graeu. Thes. Italiae.* T. IX. P. VI.

(**) in *Praef.* p. 4.

minis aeneis inſcripſit, laudem nos lecturos eſſe ſperauimus. Verum eſt, male Ripam antiqua monimenta neglexiſſe, ſed hunc certe vſum illius libellus praeſtabit, vt multo plures a recentioribus allegoricas imagines excogitatas eſſe intelligamus, quae laudem mereantur, quam Cl. *Winkelmannus* exiſtimare videtur.]

In *cap. XI.* ipſe Auctor nouas Allegorias proponit, atque, quomodo in ſymbolis inueniendis adhibendisque artifices verſari debeant, ſuo exemplo docere conatur. Sed, niſi valde erro, non eundem Muſarum fauorem Vir Cl. expertus fuiſſe videtur in illis excogitandis, quem reliqua, quae edidit, aureola ſcripta teſtantur. Aliae enim harum Allegoriarum nobis perobſcurae atque aenigmata potius, quam ſymbola, eſſe videntur, aliae non conuenire rei, quam indicare debent. Fabula Orphei et Eurydices imaginem poetae potius, quam medici, illuſtrari credo. Nec ſatis accurate medico ſopitum Cerberum addi exiſtimo. Neque enim mortuos in vitam reducit medicus, ſed aegrotos ſanat. Quis facile intelliget, piſce homini addito oſtendi, illum mutum et ſurdum eſſe? Nec clarior mihi videtur imago

hominis vtramque fortunam moderato animo ferentis, cui personam duplicem, comicam et tragicam, Auctor dat. Inprimis vero tum displicet Vir Cl. vbi e prouerbiis Graecis, iisque eruditioribus etiam ignotis, Allegorias repetit. Factum imperiti hominis adumbrat pico cantum Sirenum imitante, quia Graeci dicunt: ἁ κίττα τὴν Σειρῆνα μιμουμένα. Duo homines Mercurium tenentes significare dicit duo, qui sibi vnam eandemque rem inuenisse videantur. nam Graecorum esse prouerbium: κοινὸς Ἑρμῆς. Equidem, si prouerbia Allegorias nobis offerre velimus, duo obseruanda esse existimo. Primum ea prouerbia eligenda, quae minus recondita sunt. Neque enim pictor aut sculptor ingenia hominum aenigmatibus soluendis exercere debet, quasi a Sphinge eruditus, neque quisquam ideo marmora et tabulas adspicit, vt fatiget animum atque discruciet iniucundo labore. Quare ea tantummodo prouerbia adhibenda sunt, quae quam maxime popularia et vsu trita sunt, quorumque sensum non moleste assequimur. Si quisquam hominem parum ingeniosum indicare velit, exprimatque prouerbium

bium: ὄνος λύρας, *Asinus ad Lyram* (*), neminem imaginis sensus latebit. Quot vero sunt prouerbia, quae vnius tantum vrbis ciuibus propria erant, quae ad historiam aut ritum aliquem, hodie ignotum, respiciebant, quae e fabula hodie prorsus ignota orta erant, quorumque interpretatio etiam eruditos viros torquet. Ab his omnino abstinendum esse dicimus. Deinde est aliud prouerbiorum genus, perspicuum quidem illud, sed ob humiliorem, quam adiunctam habet, speciem non aptum picturae. Nemo ignorat sensum verborum: *Sus Mineruam*; sed nemo non hanc imaginem inuitus aspiciet et fastidio plenus. Nobiliorne vero est illa p. 149. Allegoria, quam Cl. *Winkelmannus* nobis offert? Ingrati symbolum esse iubet hominem, qui Gratias vase in terram effundat: quasi vllo modo iucundum adspectum praebere possint amabilissimae puellae, vt pisces, effusae in pulverem vrceo, ostendentesque, quas verecundae tegunt, corporis partes. Sed haec hactenus. Vnum addamus. Inter Allegorias a se inuentas refert etiam p. 143. Auctor nauem pleno velo euntem, tan-

(*) vid. Erasmi *Adagia* p. 174.

quam felicitatis symbolum. Sed ea navis iam apparet in nummo Hadriani cum inscriptione: FELICITATI AVG. vt docet Addisonius (*), cuius libellum Allegoriae studiosis etiam atque etiam commendamus. Habet enim multa praeclara, quaeque huius rei scrutatorem inire iuuant.

Vltimum operis locum tenet pulcherrima descriptio mutilatae Herculis statuae, quam inter praestantissima antiquae artis monimenta referri nemo ignorat. Ea vero oratione Vir Cl. truncum incredibili arte formatum descripsit, vt facile pateat, illum non sine diuino aliquo afflatu eum contemplatum fuisse, atque ingeniosi hominis animus non possit non ea suauissime affici.

(*) *Dialogue II. of Ancient Medals* p. 395.

II. Lett-

II.

Lettres de Mentor à un jeune Seigneur, traduites de l'Anglois par M. l'Abbé Prevôt.

Londini, ap. Vaillant. 1764. Alph. 1. praef. pl. 5. 8.

Ante aliquot annos hae epiſtolae Anglico ſermone prodierunt Londini (*). Gallicam vero verſionem, licet ea Latina verba ita ſaepiuſcule exhibeat, vt a puero quadrienni ſcripta eſſe videatur, grauique errore non omnino abſoluenda ſit, quia Senecam pro Lucretio laudat (**), illam igitur ideo indicauimus, quia interpres ſat verboſam praefationem addidit, in qua multa hominem diſputaſſe audiuimus. Nec decepit nos rumor. Tot enim ille vna praefatione proponere auſus eſt, tamque diuerſas res, vt non poſſis non illarum coagmentationem mirari. Initio facto a libertate dicendi, quam p. 143. p. 168.

 Londi-

(*) *Letters to a Young Nobleman.* 1762.

(**) *J'ai deia parlé avec honneur de Sé*néque, *le plus grand des Poetes antiques.*

Londinenses quaedam chartae testantur, famosique Wilkesii mentione facta, de Popio loquitur, et mox ad Quinaltum progreditur. Vt vero nulla Gallorum fabula est, quae non amoris quidquam admixtum habeat, longa intexitur historia, de virgine ex Anglia clam subducta, de conspecta illa in ludis a prisco amatore, eodemque generoso animo eam permittente alteri. His expositis, Prenotius in Italiam proficiscitur, et Venetorum nobilium potentiam considerat: subito re grauiori relicta, Musicen Italicam cum Gallica comparat, atque opinione citius in laudes Benedicti XIV. excurrit. Sequitur breuis disputatio de monimentis antiquis, quae Roma habet, de aede diui Petri, vnoque saltu Auctor Florentiam se confert, et de Medicea familia verba facit. Paullo post in Graeciam abit, et Athenarum exemplo apparere negat, libertate magnos poetas et artifices ali. Displicere incipit Graecia: hinc de Genuensium rep. sermo instituitur, atque inprimis permulta de Theodoro, Corsensium regulo, narrantur. His dictis, ad Hispaniae oras Auctor diuertit et de naeuis regiminis philosophatur. Quomodo haec

haec omnia vna praefatione complecti Preuotius potuerit, quaeritis? Hercle! nescio, hoc scio, ea omnia in illa praefatione exposita esse. Possis eam comparare cum potu miscello, quam Achillis amicis Hecamede parabat.

Ἐπὶ δ' αἴγειον κνῆ τυρὸν Il. Λ.
Κνήστι χαλκέῃ, ἐπὶ δ' ἄλφιτα λευκὰ πάλυνε. 629.

Quod ad ipsas epistolas attinet, sunt illae suauiter et facunde scriptae. Lectione illarum facile animus exhilarabitur et delectabitur. Atque etiam haec suauitas saepiuscule doctrinae accuratae locum occupauit. Certe in *prima* epistola de litterarum studio non memini me quidquam reconditi legere. Persuadere studet Auctor iuueni nobili, non solum necessariam, sed iucundam quoque esse, quam in poliendo ingenio ponere debeat, operam. *Secunda* et *tertia* epistola spectant ad historiae studium, neque tamen multa continent, quae non a Bolingbrokio, melius etiam et exquisitius, dicta sint. Inprimis ostendere conatur, quantum ad vsum rerum comparandum, ad nos erudiendos faciat historia. Immo experientiae propriae defectum eandem supplere, Luculli exemplo docet, quem

p. 1-8. (margin note beside "Certe in prima epi-")

p. 9-68. (margin note beside "Secunda")

 summi

fummi Imperatoris fcientiam, rebus geftis legendis, fibi camparaffe, memoriae proditum eft. [Quanquam hic plura tribuere videtur hiftoriae Auctor, quam ipfa poftulet. Nunquam fola illa magnum ducem creabit: fed fortem et intrepidum virum, gnarumque iam rei militaris multum iuuabit. Ipfe Lucullus cum legendis rebus geftis, tum *percunctando a peritis*, res bene egiffe dicitur. Quot non vidit noftra aetas fummos Imperatores, ampliffimisque victoriis claros, eosdemque litterarum rudes!] In reliqua epiftola nihil aliud agit, quam vt iuueni fuo narret, hiftoriae ftudium maxime decere, ornare et iuuare hominem nobili genere editum. Sed haec omnia nullam aliam laudem merentur, quam quod eleganter dicta funt. nam eadem centum alii multo doctius tradiderunt. Fateor, nos fuauiter affici iis, quae in epiftola fequenti de praeftantia hiftoriae Graecae et Romanae, de virtutibus Liuii, Salluftii, et Taciti, de hiftoria barbarorum temporum, de recentiori aetate, de libertate fentiendi, fuperftitionis tenebris repulfis, humano generi reftituta, magnisque inde commodis ortis, occurrunt. Sed eftne operae

pretium,

pretium, ea, quae iuueni non sine fructu dicuntur, omnibus quoque, qui vbique sunt, commemorare? Idem fere dici potest de iis, quae de arte Vitarum scribendarum, atque de vtilitate, quam illarum lectio praestat, in *Epist. IV.* disputantur. Is, qui historiam regni scribit, Noster praeter alia ait, ea tantummodo de viris magnis narrat, quae cum rebus publicis coniuncta sunt. Latius euagari illi non licet. Sed non eae solae res memoria dignae sunt: saepius, quae priuatus aliquis egit dixitque, maiorem attentionem merentur. Hinc patet Biographiae vtilitas, quae nobis omnia narrat, quae ad virum pertinent, quae non magis illum in publico concilio, quam in amicorum consessu ostendit, quae eundem e curia abeuntem in Museum comitatur, quae nobis non tantum ducem exercitus, sed patrem quoque familiae monstrat, vno verbo, quae veram imaginem cum magni ciuis, tum hominis, pingit. Quae de ingenio eorum, qui Vitas illustrium virorum sibi scribendas sumunt, atque lectione litterarum ad familiares, vnde optime interior cuiusque animus cognoscitur, traduntur, prae aliis placuerunt. Nec mala sunt, quae de

p. 69-98.

p. 78.

de animi ingeniique indole e lectione vitarum cognoscenda disputat. „Ali-
„quoties, inquit Auctor, mihi in men-
„tem venit, optimam rationem inge-
„nii alicuius perspiciendi esse hanc, si
„attendamus, quibus Vitis legendis
„maxime is delectetur, et moueatur.
„Qui Caroli XII. et violentum et rapi-
„dum ardorem magis admirari viden-
„tur prudentia Malborughii, aut qui
„iucundius afficiuntur lectione rerum,
„quae similes sint rebus a rege Sue-
„ciae gestis: ii profecto non tam
„prudenter aliquid ad exitum ducent,
„quam ferociter hostes adorientur. Ma-
„iori si quis voluptate sapientis et ve-
„nerabilis Cancellarii aut sacerdotis pii
„vitam legit, quam clari Imperatoris:
„hunc existimare debemus naturam
„nolle gladium gestare, sed aut sacris
„aut ciuilibus muneribus destinasse.
„Quibus vitae priuatae atque procul a
„strepitu aulae in otio actae historia pla-
„cet: ii officiis publicis gerendis pa-
„rum idonei erunt. Hoc igitur modo
„bene cognoscere possumus, quales nos
„natura creauerit, ad quam viam ineun-
„dam nos inuitet, quidque a nobis vnice
„agi velit. Inde bene merebimur de
„iuueni-

iuuenibus, ii, priusquam vitae aliquod „ genus eligant, iis Vitas hominum, cum „ moribus tum ingenio diuersorum, tra- „ damus; atque inde cognoscere iubea- „ mus, quid maxime ipsorum ingenio „ conueniat. Nam, qui contra natu- „ rae vocem vitae genus eligunt, vix ad „ aliquod fastigium peruenient, raro „ reip. vtiles erunt, rariusque vitam sibi „ iucundam et vitalem ducent. „ ∫ Poterant haec non sine fructu lectorum exemplis aliquot insignibus e historia petitis illustrari. Nonne Carolus XII. qui iuuenis vehementer Curtii lectione delectatus est, quique, quid de Alexandro sentiret, interrogatus, respondit, se optare, vt illi similis fieret, idem Benderae fecit, quod Alexander, cum se praecipiti saltu in Oxydracarum oppidum immitteret, rem ausus incredibilem atque inauditam, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriae insignem (*). Ille Curtii admirator iuvenis quam similis est illi Carolo viro, qui cum Benderae retineretur, et, quae a Boilauio de Alexandri stulta audacia dicta sunt, legeret, plagulam discerpsit, cuique vnice Mithridates Racinii placuit.

(*) vid. *Curt. IX. 5.*

p. 98- cuit. (*)]. In epistola V. quae inscripta
126. est, de gustu, Auctor in caussas inquirit, diuersi elegantiarum sensus apud Anglos et Françós. Recto iudicio, ingenii robore et orationis vi magis putat eos excellere, quam venustate et elegantia: caussam vero repetendam esse a primaria regionis vrbe, vnde, quasi riuis diductis, elegantia, doctrina, venustas in prouincias deriuetur. Comparationem igitur inter Londinum et Lutetiam Parisiorum instituendam esse. Londini maxime mercaturam florere; hinc homines magis curare, quae vtilia sint, quam quae venustatis tantum specie se commendent: forte etiam mores Londinensium aliquem colorem trahere e frequenti vsu cum nautis. Parisinos procul habitare mari in vrbe, cuius totum commercium elegantibus quibusdam fabricis absoluatur: maioremque ciuium numerum aut nobilem esse aut certe talem, qui exemtus negotiis abundet otio in artes incumbendi. Vniuersitatem litterarum, quae Parisiis floreat, cum iuuare multum ingenia ciuium, qui nunquam non occasionem

(*) v. *l'Histoir. de Charles XII. par Voltaire.* p. 34. et p. 186.

ſionem, habeant opportunam diſcendi, tum hominibus doctis copiam praebere, artium, quarum ſedes eſt regni primaria vrbs, cognitionem hauriendi, Oxoniam et Cantabrigiam Londino remotas eſſe longius. Praeterea Pariſiis eſſe multas Academias, quibus illud propoſitum ſit, vt poliatur ingenium. Pariſiis publicas eſſe bibliothecas, easque patere omnibus, multis cum artis pictoriae tum ſtatuariae operibus inſtructas; harum perpetua contemplatione non ſolum homines ingenioſos iuuari, ſed reliquos quoque oculorum quandam elegantiam contrahere. Londini et paucitatem eſſe bibliothecarum publicarum, nec aperiri illas facile omnibus, nec ſine mercede. — Longiores p. 127-reliquis, atque etiam memorabiliores vi- 248. dentur *Epiſt. VI.* et *VII.* in quibus quam libertas operam praeſtet cum eruditioni tum elegantioris doctrinae ſtudio, Auctor exponit, cuius ſententiam paullo copioſius examinemus. Omnis hiſtoria, inquit, teſtatur, libertatem comitari omnia magna, ſublimia, ingenioſa. Quod vero guſtus elegantiae proprius eſſe dicitur nationibus, imperio vnius principis nullis legibus circumſcripto ſubiectis,

nulla

nulla haec sententia ratione nititur. Orta tamen esse videtur e falsa opinione de aetate Augusti, et imperio Gallico. Vt vt vero haec sint, eodem semper gressu cum libertate, ingenii magnitudo et elegantia iudicii incesserunt. Quis mihi, pergit, populum monstrabit imperio subiectum, qui tantam elegantiam ostenderit, qua liberi Graeciae populi eminebant? Neque nos praestantissima seculi Augustei monimenta imperio illius, sed libertati debemus, quam ille ad detrimentum elegantis litteraturae oppressit, cuiusque ope ante Augusti tyrannidem Roma sedes omnis elegantiae euaserat. Non sola libertas, nec illa statim ingenium hominis polit. Alia accedant oportet simul. Libertas tamen animam quasi litteris praebet: vbi illa omnino abest, ibi omne ingenii lumen extinguetur. Potest esse natio libera, nec magis rudi ingenio, quam impolitis moribus esse. Verum seruilis natio aut omnino gustu elegantiae carebit, aut corrupto laborabit. Variae possunt caussae artium incrementa in libero populo impedire. Apud Lacedaemonios pa- rum pretii litteris et artibus statuebatur. Romani diu districti fuerunt bellis,

oppor-

opportunam vero fruendi libertate copiam nacti, mira celeritate in litteris progressi sunt. Eundem ictum et caput Ciceronis et libertatem et eloquentiam Romanam deleuisse constat. Eloquentiam vero, quae deinde tantopere degenerabat, non multum elegantiam ingenii iuuisse et auxisse, facile ostendi potest. Diuina ingenii monimenta, quae Roma posteritati tradidit, ab iis edita fuerunt, qui liberae adhuc reip. temporibus nati sunt. Immo non pauci eorum scriptorum, qui seculum Augusti ingenio illustrasse minus recte dicuntur, iam ante illud tempus obierunt, quo Augusti nomen orbe clarum fuit, potiusque ad postrema reip. tempora referendi sunt. Libertate Romana exstincta, omnis etiam ingenii flos exstinctus esse videbatur. Forte ipsi scriptores, rep. libera nati, quorum aetas in Augusti tyrannidem incidit, altius ascendissent, nisi superuixissent libertati; forte similis fuisset Virgilius Homero, si eo tempore cantasset, quo Roma nullum Imperatorem habebat. Nullus enituit Tragoediarum scriptor, qui cum Graecis comparari posset: ipse Mecaenas suis scriptis, omnibus neruis destitu-

tis, suoque exemplo ostendit, quantum potens amicus tyranni ad corrumpendam eloquentiam conferat: adulatio in locum magnitudinis animi successit, omniaque in peius ruere coeperunt. Exstitere Imperatorum temporibus praeclara aliquot ingenia, sed pauca, nec longo admodum interuallo a rep. libera. Post Taciti, Iuuenalis, Plinii aetatem, nullus Imperatorum, licet litterarum studiis deditissimorum, fauor scriptorem parere potuit, qui cum antiquis comparandus esset. Haec de antiquis temporibus Auctor dicit. In *Ep. VII.* exemplis e seculo Ludouici XIV. petitis ostendere pergit, elegantiam iudicii libertate ali et nutriri. Eodem dicit tempore ingenia Gallorum poliri coepisse, quo libertas enitere, quoque, licet reges sint facti potentiores, iura tamen populi aucta sint. Neque enim, si potentia principis crescat, vna seruitutem populi crescere. Ludouicum XI. auctoritate principum minuta, populum durissimis vinculis seruitutis exemisse: hinc et magistratus ortos esse, qui populi causam agant et legum vim tueantur, et mores militares, quibus vnice armis exercendis intenti principes de-

lectaban-

lectabantur, depulsos. Eorum enim potentia nullum artium amori locum reliquit: iure beneficiario vero sublato, melior litteris opera praestita fuit, quam vllius regis liberalitate, aut Caroli V. satis pro illo tempore numerosa bibliotheca effici potuit. Porro iis temporibus, quibus superstitione purgari religio coepit, melioresque opiniones stabiliri, quas nobilissima Franciae pars amplectebatur, quibusque libertatis amor plurimos excitabat, non parum ingenia poliebantur. Quae sequebantur, bella ciuilia multum animis ingeniisque profuisse, iam Henaltus pulchre docuit. Iure igitur populi stabilito, ingenio acuto perpetuis de libertate ciuili et ecclesiastica concertationibus, fundamentis litterarum sub amabilissimo Henrico IV. iactis, factum est, vt paullo ante imperium Ludouici ingenia venusta in Gallia eniterent. nam Cornelius, Molierius, Pascal iam viuebant, cum Ludouicus regno potiretur. Praeclarissimi Gallorum viri, Bossueti, Fontanii, Poussini, le Brunii prius nati sunt, quam Richelius omni lege eximere conabatur regiam potestatem. Post Richelii mortem paullum

respirabat libertas Gallica, atque etiam hodie illam in Gallia restare, variis rebus probari potest. Quibus quidem omnibus collectis, ita concludit epistolam Auctor: elegantiae amor cum iure populi firmato ortus est: ingenium et elegantia maxime enituerunt in iis, qui eo tempore nati sunt, quo Francia libertate maxima fruebatur: ea a Richelio oppressa, nulli noui ingenii progressus animaduertebantur: immo forte nec antiquum decus retineri potuit.

[Libertatem publicam vnicam esse omnis elegantiae doctrinaeque parentem atque nutricem, saepius docere meminimus Anglos, libertatis studiosissimos, eaque de causa illa dignissimos. Agitata fuit haec res etiam aliorum disputationibus. Sed verbi magis controuersia, quam rei, torquere homines videtur. Quam enim aut dicunt libertatem? aut quod regnum libertate carere existimant? Si in iis regionibus, quibus tyrannus praeest, ita, vt omnia ex suo vnius arbitrio agat, potentiam nullis legibus circumscriptam exerceat, solam voluntatem pro lege habeat, atque aut palam audacia effrenata et cru-

deli

deli in vitas, corpora, et opes ciuium saeuiat, aut clam callidiusque dura seruitute eos premat, exactionibus acerbis durisque tributis imperandis exhauriat, sensimque omnem vigorem ciuium deleat, si igitur in his regionibus ciues liberos esse, atque in iis litteras florere posse negant, recte profecto iudicant. Neque obscurae sunt causae, quae litterarum florem retardent atque exstinguant. Tyrannis omnem virtutem odit, omnemque praestantiam suspectam habet. hinc ipse timor ingenia debilitat, vbi excellere nefas habetur: multi ad meram adulationem descendunt: nulla praemia ingeniis tribuuntur: nec ibi artium honor floret, vnde rerum affluentia aut iam abiit, aut aufugere minatur. Sed poteftne nullus ciuis esse, nisi qui dura seruitute prematur? aut potestne nulla libertas, nisi in populari imperio, cogitari? aut quid habet libera ciuitas praecipui, quod litterarum studia foueat, alat, augeat? Immo saepius in liberis ciuitatibus eorum honos non potest non iacere. Primum enim frequentiores in illis turbae esse solent, maiorque voluntatis, consiliorum, opinionum diuersitas, quam

vt ingeniorum cultura stabiliri, certisque praemiis excitari possit. Deinde quis nescit, in eiusmodi ciuitatibus, in quibus summa rerum cum populo communicata est, non solum apud plures iudicandi copiam esse, sed etiam, cum vis bene iudicandi paucis a natura concessa sit, praue de artibus et ingeniis iudicari? Contra, vbi vnus summo imperio praeest, haec omnia meliora sunt. Quam vero libertatis, artibus amicae, notionem habebimus? Nempe ibi libertatem florere dicamus, vbi omnia eo spectant, vt ciuium felicitas, quam potest, maxima obtineatur, vt omnia bona adsint, quae sapientis et moderatae imperii formae propria sint. Vbi igitur sapientes leges florent, vbi earum pro arbitrio mutandarum et peruertendarum nemini licentia concessa est, vbi iis legibus nihil aliud quaeritur, quam populi salus, atque ideo vbi omnia ita aguntur, constituuntur, administrantur, vt haec salus ciuibus comparetur, quidni dicamus ibi libertatem esse? Honesta enim adest dicendi et cogitandi libertas: priuata vtilitas communi bono cedit: nullus est timor, nulla tributorum durities, nulla violentia tyranni.

tyranni. Quidni igitur his regionibus summum litterarum florem polliceamur? Aderunt enim praemia, aderit rerum affluentia, homines cum timore soluti, tum curis tristibus exemti, artibus operam dabunt, publicaque felicitas excitabit ingenia et alet. Haec vero non propria tantum sunt popularis imperii, nec adsunt minus regio imperio, quale hodie est in Europae plurimis regnis, certis legibus constricto, quam illi, quod ex optimis compositum est. Denique cum libertate populari non semper coniuncta esse litterarum incrementa, immo haec, illius specie amissa, magis fuisse aucta, clarissimis exemplis ostendi potest. Quando artium honos effloruit Athenis? quando Homeri carmina collecta et digesta fuerunt? quando vrbs praeclarissimis aedibus ornata fuit? quando primae Tragoediae actae sunt, quod carminum genus nobilissimum ingenii humani opus esse Auctor fatetur? quando Thespidis nomen cognitum fuit? nonne eo tempore, quo libertas Atheniensibus a Pisistrato fuit erepta? Potestne maior litterarum honor aut laetior flos cogitari eo, qui Philippi et Alexandri tem-

poribus in Graecia erat? Quis vero ignorat, tum libertatem Graeciae valde afflictam fuisse, eosque reges principatum tenuisse? Florentiae nihil amabatur magis artibus, nullaque aemulatio vehementior erat, quam inter praestantissimos viros de ingenii et elegantiae laude, posteaquam summa rerum ad vnum peruenerat. Nunquam ea artium dignitas litterarumque praestantia in illa ciuitate floruit, quanta Cosmorum et Laurentiorum aetate. Contra vero quot liberae ciuitates fuerunt in Graecia omni doctrinae et elegantiae laude destitutae? Non memini aut Pylon, aut Locrensium vrbem, aut Argos magni cuiusdam ingenii laude inclaruisse. Multae sunt nostra aetate vrbes, in Germania etiam, maiori quae libertate fruuntur, ciuibus principum imperio subditis, immo apud quas imperium e populari et optimo mixtum viget. Neque tamen liberae hae ciuitates vnquam de ingenii gloria certare audebunt cum vrbibus, quibus principes praesunt. Quem meminimus Gedani, Bremae, Lubecae, aliisque in vrbibus magnum poetam aut pictorem celebrari? Vt igitur summam cogitationum

tionum faciam, equidem ita statuo, florem litterarum et artium minime proprium esse popularis aut optimi imperii, sed quocunque in regno, vbi bona et sapiens rerum administratio viget, laete enitere, atque hanc sententiam cum historiae exemplis, tum argumentis e rei natura petitis confirmari: quod vero litteras in libero tantum populo florere vulgo dicant, id inde fieri, cum, quoniam libertatis notionem non habeant rectam, nimisque illam angustis finibus circumscribant, tum, quia male formam imperii Romani post ereptam libertatem cum aliis regnis comparent. Amissam Romae libertatem litteris nocuisse, facile largior. Nam primum eloquentiae nullus relictus erat vsus, cuius comparandae causa homines tum litteris operam dabant. Deinde etiam multa crudelitatis exempla edebantur, quibus nouam imperii formam stabiliendam esse censebant Imperatores, quibusque animi hominum non poterant non frangi et opprimi. Denique etiam nullis legibus Imperatorum potentia tenebatur, solaque voluntas iis pro lege erat. Addamus praeterea, non fuisse tum alium populum, qui oppressae reip. causam

 defen-

defenderet: immo, cum totus orbis fere vni pareret, vix fugae relictum fuisse locum. Comparemus cum his regium imperium, quale nostris est temporibus plurimis certe in regnis: consideremus, in stabilito iam et proprio regiae familiae imperio non opus habere principem ea seueritate, qua noua forma regiminis firmatur, aut qua sibi quisque a reliquis aemulis cauet: contemplemur coniunctionem, quae inter Europae regna ita intercedit, vt seruitutem summam in vno vix reliqua patiantur: iura denique ciuium cogitemus, quae sese salua et integra seruaturum esse princeps sub imperii initium iureiurando pollicetur. His cognitis, quomodo audeamus comparare Romanorum sub Imperatoribus conditionem cum regiis imperiis, qualia hodie sunt? et quomodo, quae Romae non poterant non ob caussas, quas enarrauimus, fieri, hodie quoque, rerum statu mutato, necessario accidere debere, arbitremur? — Lubuit de his paullo copiosius disputare, quia minus recte multos sentire cognouimus, opportuno inprimis haec exponendi loco ab Auctore oblato. Nunc pergamus.]

Restat

Restat enim *Epist. VIII.* in qua Auctor causas exponit, cur poesis magis floreat in Anglia, quam pictura et sculptura. Impeditum fuisse ait harum artium studium doctrina religionis mutata: hanc in pontificiis regionibus pictori sculptorique non magis argumenta operum, quam praemia offerre. ipsum etiam cultum, quo imagines prosequuntur pontificii, valde inflammare ingenia, nec vno modo iuuare artium studia. Porro Britanniam, orbe reliquo interfuso mari diuisam, minus olim frequentes peregrinos adiisse, atque ideo aemulandi stimulum minus fuisse acrem. Nobiles magis delectatos fuisse villis suis, ibique, quam in vrbe, lubentius versatos. Hinc amorem elegantiae, iudiciumque de illa rectum non potuisse cum tanta hominum multitudine communicari, quantam hoc gustu venustatis imbui optabile sit. [Quod ad primam causam attinet, recordamur, recte Baronium (*) obseruasse, numero Christianorum aucto artem statuariam exoleuisse. "Nam eius, inquit, fa-" cultatis opifices omnes propemodum," ad"

p. 249-277.

(*) vid. Annal. T. II. ad a. C. 303. n. 116. adde Tom. III. ad a. 312. n. 66.

„ad Christianam fidem conuersi, indi-
„gnum rati, opinari Deos, quos ipsi
„manibus sculpsissent, mori potius ele-
„gerunt, quam Deos vel sacranda Diis
„effigiarent, sicque ars statuaria scul-
„ptoribus fere omnibus destituta, peni-
„tusque collapsa remansit. Est quidem
„eius rei euidens atque perspicuum
„omnibus argumentum, quod quaecun-
„que visuntur Romae huius temporis
„statuae, crassae Mineruae esse noscun-
„tur, ab antiquioribus longe dispa-
„res etc."]

III.

Geschichte des menschlichen Geschlechts, so weit selbige in Europa bekannt worden, vom Anfange der Welt bis auf unsere Zeiten. Neue Historie. I. Band. — von *Carl Renatus Hausen.* Professor der Geschichte.

Halle, bey Joh. Justin. Gebauer. 1766. pl. 13. 8.

Omisimus in titulo recensendo, quae in ipsa fronte praestantissimi libri omittenda erant. Nam quod ibi dici-
tur,

tur, hanc Germaniae historiam ex immenso illo Anglorum opere (*), quo totius terrarum orbis historiam complecti voluit doctorum hominum societas, excerptam esse, ipsius *Hausenii* praefatione refutatur, qui se frustra quaesiuisse illud opus in Germania, ideoque nouum omnino librum conscripsisse profitetur. Neque poenitere debet Virum doctissimum laboris in isto quaerendo frustra collocati. Equidem, vt libere sententiam dicam, nunquam tam praeclare sensi de illis voluminibus, vt alios sentire intellexi: immo nisi in Germania, eruditissimorum hominum studio, nouam plane formam, tot erroribus sublatis, tot naeuis deletis, accepissent, vix mediocri laude ea digna iudicarem. Licet vero antiquiorum temporum historia multis erroribus deformata sit: hos tamen ludum iocumque esse dices, si examinaueris ea volumina, quae recentiorem memoriam continent, in quibus turpissime saepissimeque eosdem viros lapsos esse constat. Quod enim ad Germaniae historiam attinet, ea primum tota, ex Heissio, Barrio et miserabili

(*) *A General History of the World from the Creation to the present Time.*

rabili Strunio compilata est, totque foedissimis erroribus referta, vt, si Germano alicui vsui esse debeat, tota mutanda sit. Nulla est igitur causa, quamobrem fortunae irascatur Vir Cl. quae Anglicanum opus illi concedere noluit. Nos potius eidem gratias agere debemus, atque fauorem Deae et beneficium agnoscere. Hoc enim modo fiet, vt Germania historiam accipiat, quam diu optauimus, quam frustra tentasse multos vidimus, cuiusque Auctorem longe superaturum esse reliquos omnes praeuidemus.

Caussam exponemus paullo post, cur ita sentiamus, atque aequis lectoribus iudicium nostrum ita probabimus, vt nihil amicitiae, omnia veritati dedisse videamur. Quod vt eo clarius appareat, liceat libere nostram sententiam de iis dicere, qui Germaniae historiam scribere ausi sunt. Nullus eorum est, qui animo nostro omnino satisfaciat, nullus, quem, tanquam totius Germaniae communem magistrum, cum exterorum historicis comparari posse existimem. In Hahnio me offendit turbata rerum narratio, neglectus in testimoniis, quibus illa confirmatur, afferendis, ordo, pessimum-

pessimumque scribendi genus. Laudo in Bunauio accuratam diligentiam, atque illud ingenium admiror, quod vera a falsis discernit, et, quid cuique rei probabile insit, intelligit. Sed illud rerum minutarum studium, quo maxime vir scriptis et honoribus illustris delectatur, nescio quomodo dedecet valde istam ingenii praestantiam. Nihil dicam de sententiis, quibus erudire voluit lectoris animum, quasque saepenumero ita protulit, vt concionatorem audire nobis videamur. De Barrio neque quomodo taceam, neque quid iudicem, inuenio. *Primam* historiae *legem, ne quid falsi dicere audeat*, iste homo ignorasse omnino videtur, maximamque audaciam ostendit et impudentiam, cum exscribendis aliis secure, tum fingendis quam plurimis, quae aut nunquam facta sunt, aut aliter facta. In Mascouio quis neget plurimarum rerum fuisse scientiam? Idem tamen in *Commentariis* res gestas tantum modo commemorauit: faciem Germaniae, statum reip. mores ciuium, ingenia, aliaque, quae huc pertinerent, plane neglexit. Fateor, in *Historia*, quam scripsit, Germaniae, haec accurate ab illo exposita esse. Sed aut

valde

valde erro, et nimis morosum me atque delicatum Liuii, Voltarii, Humii lectio effecit, aut semper audio, historiarum professorem, in cathedra sententias ita loquentem atque adspergentem narrationi; vt equidem malim nudam rerum gestarum expositionem, quam admonitiones illas graues, non raro Theologicae seueritatis aliquid habentes, legere. Non ignoro, plures de Germania bene mereri voluisse, maiorum nostrorum historia composita. Sed alii tantummodo *compendia*, vt ipsi dicunt, scripserant, eo vsi sermone, qui Germaniae Academias et comitia Ratisbonensia decere creditur, atque etiam, ni fallor, ipsi agnoscunt, non esse haec monimenta, quae raro auctoribus superuiuunt, posteritati, sed puerili institutioni, atque vmbrae scholarum dicata: alii ne digni quidem sunt, quorum a nobis mentio fiat.

Qua igitur laude dignum censeamus *Hausenium* nostrum, qui historiam Germaniae ita exposuit, vt primum ipsos fontes accederet, vnde veritas pura haurienda esset, testimoniisque vteretur auctorum fide dignorum, quos diligenter laudauit: tum non tam furores maiorum

iorum nostrorum narraret, id est, bella, praelia, pugnas, quam ea, quae cuiusque cognoscere interest, quaeque historiam vtilem reddunt et magistram vitae, mores, instituta, opiniones de rebus diuinis, variumque pro temporum varietate superstitionis, sapientiae, virtutis imperium in animos hominum: ingenia principum exploraret, moresque describeret, atque cum hinc causas eliceret eorum, quae ab iis acta sunt, tum, quam principum mores vim ad ciuium vitam fingendam formandamque habuerint, doceret: non solum docto lectori, sed cuicunque ciui, qui maiorum vitia cognoscere, eorumque exemplis sapere cupiat, prodesse studeret: porro summum veritatis studium vbique ostenderet, liberrime vitia principum enarraret, et de aliis quoque, de quibus pauci recte sentiunt, siue quia nolint, siue quia nequeant veram rerum naturam intelligere, optime iudicaret: denique eo scribendi genere vteretur, quod frustra in istorum scriptis quaerimus, qui se antiquitatis Germanicae promos condos esse arbitrantur. Si accurata historiae cognitio, si diligens rerum expositio, si acutum earundem

 examen,

examen, si sermo, cum a fordibus, tum ab affectatis argutiis alienus, ad boni historici laudem requiruntur; quidni speremus, *Hansenium* hanc laudem ab omnibus laturum esse, qui tum recte iudicare possint, tum animum habeant a partium studio liberum? „Mea, in„quit Cl. Auctor, ratio haec est: mo„res, ingenium, atque statum Germa„norum ostendere cupio, atque hinc „definire, quantum nostra aetas maio„rum tempora cum prudentia, tum stul„titia superet. Haec ratio cuicunque „Germano exempla offeret, quae ante „oculos sibi ponat, quae ipse sequatur, „atque etiam locum dabit prudenti re„rum contemplationi considerationique, „qua vitiorum foeditas et virtutis ama„bilis species declaretur, religionis sa„piens cultus stabiliatur, praeiudicatae „opiniones opprimantur, ingenium „acuatur et erudiatur, atque ignoran„tiae et stultitiae detestabilis species „monstretur." Huic consilio quomodo satisfecerit Auctor, breuiter videamus.

Primam hanc partem in *quatuor* capita descripsit. Celeriter percurrit antiquissima tempora, et recte disputationes de originibus Germanorum iis relinquit,

linquit, qui nihil, quod agant, habeant maius. Cimbricum bellum primum esse putat historiae Germanicae caput, quod fide auctorum satis confirmetur. Inde caput primum complectitur fata Germanorum a bello Cimbrico, vsque ad Conradum I. alterum ab hoc Imperatore vsque ad Ottonem Magnum pertexitur: tertium continet spatium temporis, ab a. 936. siue imperio Ottonis I. vsque ad a. 1002. siue Ottonem III. quartum incipit ab Henrico II. et in Henrico III. desinit, id est, ab a 1002. vsque ad 1024. Primo quoque loco, quae sub imperio cuiusque acciderunt, commemorantur, diligenter auctoribus in fine plagulae laudatis: tum descriptio morum et status Germaniae, qualis quoque tempore fuerit, sequitur. His capitibus cum quae ad religionem, tum quae ad litterarum cultum pertinent, narrantur: leges, ritus, mores commemorantur: vno verbo, totius facies reipublicae pingitur. Non licet, cum quoniam res gestae notae sunt, tum quia instituti ratio longam rerum recensionem non patitur, ex narratione aliquas partes eligere, atque repetere.

p. 72. Nam si particulam aliquam huc transferre liceret, libenter transferremus ea, quae de statu Germaniae sub Conrado I. dicuntur. Agitata enim res fuit duorum clarissimorum hominum, Ludewigii et Gundlingii, contentione, quorum alterum lectionem multorum auctorum omnisque generis voluminum ostendisse, non accurate satis argumentis examinatis, alterum Philosophum saepius, quam historicum, egisse, iudicat Noster, qui Germaniam sub Conrado nec antiquam, quae Carolingorum tempore fuit, formam totam retinuisse; nec eam, quam hodie habet, accepisse, arbitratur. Ne tamen omnino inanem libri recensionem demus, breuiter ostendamus, quomodo Vir Cl. de principum ingeniis iudicet, attexamusque sententias quasdam, vnde illius ratio, dicendi cogitandique genus, et opiniones cognosci possint.

p. 36. Vt praetereamus, quae de Pipino dicuntur, cui non placebit Caroli M.
p. 43. imago? In hoc ea omnia Vir Cl. inuenit, quae magnum virum efficiunt; nec maior ille Imperator fuit, quam bonus paterfamilias: sola voluptate, nimioque amore erga coniugem, aliquam

maculam

maculam gloriae adspersit. Eo turpior est Ludouici Pii imago, qui ne vna quidem earum virtutum praeditus fuit, quas tantum imperium postulabat. Ne mediocris quidem principis laudem mereretur somnolentus et prope ad stultitiam simplicissimus homo, qui, dum aut locum aliquem Scripturae Sacrae interpretabatur, aut hymnum canebat, interea Episcopos et Abbates, quibus aula plena erat, tyrannidem exercere patiebatur. Illo imperante, superbia et fraudulentia sacerdotum foedum caput extulit. Qui, quid sit vere et acute de rebus iudicare, intelligere velit, ille legat, quae Noster de Ottone, quem Magnum appellant, dicit. Fortem militem et ducem intrepidum eum fuisse concedit: sed non, nisi armis indutum pugnantemque eum aliquam laudem mereri addit. Quoties Otto sententias, quas de religione habuit, sequitur, quantum tum mutatus apparet ab illo hostium victore Otto, qui in monasteria pecunias profundit! Vis superstitionis et praeiudicatarum opinionum hunc inuictum heroa Episcoporum seruum efficit, qui illius animo bono turpiter abutuntur. Simus, addit Noster, par-

p. 48.

p. 112.

ciores in laudibus, nec cognomina augusta temere adhibeamus. Tribuamus Ottoni fortitudinis laudem: sed Magni cognomen plurimarum virtutum complexum postulat. Hoc loco etiam vere iudicat Auctor, honorificam videri quidem et splendidam coniunctionem Germaniae cum Italia, et in Italia coronationem, sed eandem postea Imperio Germanico magnum detrimentum attulisse. In Italia, dicit, Imperatores seculis sequentibus potestatem amiserunt, auctoritatem ambitione Pontificum opprimi passi sunt, atque haec res dignitati illorum contemtum attulit. Fallaci honoris vmbra allecti perpetua in Italiam itinera faciunt, pereunte interea Germaniae flore: ibi dum aliquot actionibus suam dignitatem ostendunt, legum defectu, morum corruptione, sacerdotum impotentia et ambitione, et perpetua inuidia principum, ciuilibus bel-
p. 173. lis Germania misere affligitur. — Conradi II. virtutes valde laudantur, easdemque laudes Henricus III. accipit. Si
p. 189. vllus eo tempore Imperator virtutes ingenii animique ostendit, Auctor inquit, quae illum Magni cognomine dignum redderent, hic profecto Henricus fuit.

Reticuit

Reticuit saepe prodiga laudis historia Henrici praeclara facinora. Nempe sacerdotum auaritiae, illiusque foedissimae nutrici, ambitioni, strenue restitit Henricus. Praeterea illius aetatis historici non boni viri sunt, sed adulatores humiles et conducti aere laudatores. Henrico re- p. 192. gnante, ratio et prudentia in Germania quasi spiritum recepit, mox iterum principum stupore et superstitione oppressa. — Sufficientne haec pauca ad ingenium Auctoris animumque veritatis studiosissimum ostendendum? Multo vero luculentius has virtutes intelligent lectores, vbi cognouerint, quam libere describat idem sacerdotum immanitatem, qui omni scelere patriam lacerarunt, quam viuis coloribus Episcoporum fraudes et callida ingenia depingat, quam luculenter hominum ostendat improbitatem, qui nulla re libentius vsi sunt ad alios decipiendos, quam religionis specie. E multis, quae huc spectant, Viri Cl. sententiis paucas repetamus.

Iam primum recte obseruat, Chlo- p. 15. douaei erga Christianam doctrinam fauorem vnice deberi vxoris Chlotildis studio atque politicis rationibus, illorum vero temporum scriptores variis

 fabulis

p. 31. fabulis rem exornasse: exemplo Pipini, ope Pontificis regiam dignitatem consecuti, apparere, nulla re facilius totos populos occoecari et decipi, quam vi
p. 35. religionis simulatae: annum 756. esse illud tempus, quo Pontifices Romani munera episcoporum negligere inceperint, atque ambitione stimulati, religionem, tanquam optimam homines fallendi artem et rationem, considerare. Hoc est, inquit, id tempus, quo Pontificum potentia crescere incepit, quae deinde superstitione, ignorantia, atque artibus politicis ita firmata et aucta fuit, vt sub nomine Episcopi tyrannus lateret, quidnis sibi subiicere cupiens, seditiones excitans, reges et principes imperio exuens, animisque hominum sine more modoque imperans.
p. 39. Postequam Carolum M. cum Saxonibus bella gessisse, ambitione excitatum, et religionis specie abusum, docuit, ad humilem peruenit abiectumque animum
p. 47. Ludouici Pii, cui Episcoporum impudentia sceptrum eripuit, quae res non potuit non occasionem Nostro praebere, incredibilem sacerdotum illius tempestatis et ad omne facinus immanem audaciam ostendendi. Quantum hic pla-
p. 67.

cet

cet Caroli M. generofus animus, qui aulae Pontificis liberum collum nunquam fubiecit, fuae dignitatis memor, fi illum cum Ludouici Pii moribus compares! Epifcoporum mores viuis colo- p. 115.
ribus depinguntur, vbi Auctor narrat, Ottonem non folum fratri fuo, Brunoni, Colonienfi Epifcopo, Lotharingiam donaffe, fed erga alios Epifcopos quoque non minus fe liberalem praeftitiffe. Vrbes, inquit, accepere et regna, principesque euafere Epifcopi. Hoc modo omne, quod primi epifcopatuum auctores habuerunt, confilium euanuit. Quibus religionis doctrinam tradere debebat, Epifcopus imperabat ciuibus, ipfaque arma in manus fumebat. Luxus illorum incredibilis fuit, vitaque omnium vitiorum imago. Ciues tyrannidem perferebant grauiffimam, duro feruitio premebantur prouinciae, nec vllo loco fecurius omnia fcelera perpetrabantur, quam in Epifcoporum, Abbatum, et Monachorum domiciliis. Hi funt illi Epifcopi, qui mox omnium coniurationum contra Imperatores aut auctores aut focii effent, feditiones fererent, artibusque variis Imperatorum auctoritatem minuerent, Pontificum potentiam

N 5 augerent.

augerent. — Eo tempore, nulla amabili ſpecie religio apparuit; compares illam furiae, cuius ope ſacerdotes animis hominum intolerabile ſeruitii iugum impoſuerunt. — Ottonis II. tempore foediſſima regnauit ſuperſtitio. Ille, qui ſe monaſterio incluſerat, ſummum virtutis gradum adeptus eſſe iudicabatur. — Otto III. dum Pontificis faſtum tolerat, dum ſe *ſeruum Apoſtolorum* appellat, dum Poloniam proficiſcitur, vt Adelberti corpus veneretur, hac dementia omnem amittit laudem, quam hiſtoricus virtutibus illius tribuere cupit. Religio in dies magis magisque ridiculam illam formam induit, qua veſtita per multorum ſeculorum ſeriem hominum imbecillitatem eluſit.

p. 155. — Nullum certius eſt ſtupidi atque ſomnolenti principis indicium, quam ſi Sancti et Pii nomen ille conſecutus eſt.

p. 158. — Henricus II. poſt mortem inter Sanctos relatus, hunc honorem animi ſummo ſtupore et immoderata liberalitate erga ſacerdotes promeritus eſt. — Eadem libertate vbique ab Auctore ſacerdotalis faſtus, audacia, libido, luxus indicatur et caſtigatur.

Vbi

Vbi Auctor de potentia Pontificum, p. 69. Caroli Crassi tempore inprimis aucta, loquitur, liberrimum legimus iudicium de emendatis a Luthero sacris. Equidem ego, cuius libertatem dicendi alios detestari, alios accusare, paucos (nam semper plurimi praeiudicatis opinionibus addicti sunt) amare constat, sententiam meam de illo loco dicere nolo. Liberum cuique iudicium relinquam, atque interpretis tantummodo partibus fungar. Ipse vero Auctor in praefatione orat, ne quisquam prius hanc sententiam damnet, quam illud opus, quod de historia emendatorum sacrorum scribere aggressus est, prodierit. Ego igitur recedo et taceo. Ipse nunc *Hausenius* prodit et loquitur.

"Luxus atque libido iam tum Ro-„ mae regnauerunt, atque Pontificis ditio „ sedes fuit omnium scelerum, quae vn-„ quam humanum genus vidit; quo-„ rumque narratio vereor ne moribus„ eorum, qui nunc viuunt, noceat. Qui-„ cunque caussas rerum gestarum consi-„ derat, atque, cur quidque factum fue-„ rit, examinat, ille et sacerdotum istius „ temporis moribus cognitis obstupe-„ scet, et vix eos depingere audebit, mul-„ titudine „

„ titudine scelerum deterritus. Stupor,
„ inscitia, superstitio, fastus, et cupi-
„ dissima vltionis crudelitas, aliaque vi-
„ tia sacerdotum tum propria erant.
„ Vt incastis Aretini figuris, ita offen-
„ ditur viri honesti animus hac imagine,
„ refugit lectu, et meminisse horret,
„ quae tum acciderunt. Nonne vero
„ incredibile prope est, si audimus, non-
„ dum ea scelera summum, ad quem
„ postea peruenerunt, turpitudinis gra-
„ dum attigisse, et humanam rationem
„ foedam seruitutem per multa secula
„ tolerasse? Quis credat, tam fero mor-
„ talium respirasse ingenium, nec tanto
„ temporis spatio vnum exstitisse ma-
„ gnum virum, qui tenebras dissiparet
„ et iugum excuteret? Tam ridiculam
„ religionis doctrinam per tot secula vi-
„ guisse? Ipsi humani animi praestan-
„ tiae derogaremus, si nullum ante
„ Wiclefium, Hussium et Lutherum
„ huius doctrinae dementiam intellexis-
„ se diceremus. Fuerunt profecto illa
„ tempestate, qui superstitionis et igno-
„ rantiae impetu se abripi non pateren-
„ tur. Sed opportunitas idonea his de-
„ fuit, resistendi huic barbariei, atque, si
„ aliquid moliti fuissent, nec effecissent

„ quid-

quidquam; et ipsi inuenissent sibi per- „
niciem. Omnes in republ. mutatio- „
nes certo tempore accidant necesse „
est, cui omnia reliqua quasi coniunctis „
viribus fauent. Nisi seculo XVI. Lu- „
therus doctrinae emendationem susce- „
pisset, quocunque alio tempore non „
magis feliciter rem peregisset, quam „
reliqui, qui ante eum idem tentauerant. „
Neque prouidentia, neque magnitudo „
animi illius conatus iuuabat: tempo- „
ris opportunitas et politica rerum ra- „
tio ipsi profuit: sic opus incepit at- „
que perfecit. Alio seculo ardor Lu- „
theri irrisus fuisset, et statim opressus: „
sed sec. XVI. non poterat diutius ty- „
rannidem aulae pontificiae et demen- „
tiam sacerdotum cum ingenium ho- „
minum iam politum et acutum, tum „
principum ratio tolerare. Non pote- „
rat non noua doctrina stabiliri: at- „
que, nisi Lutherana orta fuisset, alia „
oriri debebat. Cum ignobilis tum no- „
bilis plebs rei nouitate percellitur, at- „
que ob ignorantiam verae causae ad „
prouidentiam diuinam confugit, atque „
huic originem et perfectionem emen- „
datorum sacrorum tribuit. Philoso- „
phus et sapiens historicus hanc super- „
stitionem „

„ſtitionem irrideat. Ille humani in-
„genii fata nouit, atque hic rerum ge-
„ſtarum nexum intelligit. Niſi tum
„humanum ingenium magis politum
„fuiſſet, quam antea, aut paullo diu-
„tius in tenebris verſati fuiſſent ho-
„mines, aut ridiculam doctrinam Tho-
„mae Munzeri eadem alacritate ſuſce-
„piſſent, qua commodas Lutheri ſen-
„tentias. Ingenii humani vires, ſtu-
„dio litterarum excultae, atque impe-
„ritia rerum, quam aula Pontificis et
„Epiſcopi oſtendebant, emendationem
„ſacrorum peperere. Fuit ingenio in-
„ſtructus Lutherus, ſed tali, quod alio
„tempore plane latuiſſet. Affectibus
„laborabat plurimis, et ſi prudentius
„pontificii egiſſent, facile ille mitigari,
„atque a capto conſilio reuocari potuiſ-
„ſet. Conſiderata igitur re diligenter,
„ſummam cogitationum faciamus, at-
„que dicamus, ingenii perſpicaciam, mu-
„tatas populorum de multis rebus ſen-
„tentias, Romanae aulae tyrannidem,
„opportunitatem temporis, et pruden-
„tiam aſtutiamque principum, veras
„mutatae et emendatae per Lutherum
„doctrinae cauſas fuiſſe."

IV. Mé-

IV.

Mémoires pour la Vie de *François Pétrarque*, tirés de ses Oeuvres & des Auteurs contemporains, avec des Notes ou Dissertations & les Pieces justificatives.

Amstelodami, apud Arkstee et Merckus 1764. Volum. duo. quaternis.

Vitam illius viri, qui praestantissimi ingenii viribus excitatus, miraque eruditionis copia instructus, illud tempus, quo foedissima barbaries totum fere terrarum orbem obsedit, cum doctrina tum scriptis illustrauit, qui inscitiae tenebras omni studio dissipare conatus, veterumque auctorum libris ab interitu vindicandis, de litteris immortaliter meritus est, qui Italicae linguae eam suauitatem, et dulcedinem conciliauit, quam nullius populi lingua assequitur, qui eos versus cecinit, quos ipse Amor purpureo ore poetae dictasse videtur, eoque sermone vsus est, quem ipsae Gratiae finxerunt, iucundus, mollis, dulcis, amoenus, interdum etiam ardens et concitatus, quoties ciuilia bella insecta-

infectatur et epici carminis onus lyra sustinet, qui princeps fuit et auctor numerosissimae poetarum familiae, cui immortalia Bembi, Casae, Molsae, Varchi, Annibalis Cari, et multorum aliorum nomina magnum splendorem addiderunt, qui denique a summis illius aetatis viris adamatus, multis honoribus ornatus, in consilium adhibitus rebusque agendis admotus fuit, huius igitur talis tantique viri vitam quis non cognoscere cupiat, eaque cum voluptate legat, qua non potest non hominis liberalis animum narratio de moribus et fatis magnorum virorum perfundere? Atque etiam complures fuerunt, qui in Petrarchae vita exponenda versarentur, quos ingeniosus huius operis Auctor in verbosa praefatione, qua Italis librum suum dicauit, recenset.
pagg. In sententiis de illorum virtutibus vitiis-
119. que ferendis ordinem temporis, quo quisque vixit, secutus, certas in classes omnes descripsit. Primi prodeunt aequales Petrarchae, quique paullo post Petrarcham vixerunt, ideoque multa ex propinquis amicisque poetae cognoscere potuerunt. Sed breuius hos omnes de re, quam explicandam sibi sumserunt, expo-

exposuisse constat. Sequuntur homines obscuri ingenii nominisque, qui sec. XV. aureolos Petrarchae libros ineptis interpretationibus commaculauerunt. Recte hos comparat cum rustico, qui amoenissimos flores dura manu carpit, et cito morituras rosas comprimit. Ferream hanc aetatem mox elegantior excepit. Magnum extitit Petrarchae studium, magnus eorum numerus, qui inenarrabiles poetae Veneres imitatione, haud raro infelici, exprimere conarentur. Hac aetate reliquis melius de Petrarcha merebatur Ludou. Beccadellus. Italorum poesi ineptiis Marini corrupta, non poterat non Petrarchae lectio sec. XVII. displicere. Solus tum inter Italos Phil. Tomasinus vitam Petrarchae scribere aggressus est. Sed magis ille doctus, quam ingeniosus fuit, credulus etiam, nullique rei magis intentus, quam colligendis, quae huc pertinere credebat, plurimis. Priscum decus Petrarchae nostro seculo redditum fuit, quo simul magnum historiae litterarum studium homines cepit. Sed neque Muratorius, qui priorum peccata suis auxit, difficilioraque omnino praeteriit, Auctori nostro satisfecit, ne-

que, qui largam aliis messem reliquit, licet praestantior omnibus, Ioseph. Bimardus de la Bastie, neque Ludou. Bandinus, a quo summo iure plura quisque sperabat. His igitur recensitis, erroribusque, quos hi scriptores commiserunt, indicatis, multis dicit Noster fabulis vitam Petrarchae obscuratam esse, et quam plurima magni momenti viros doctos adhuc latere. Quae quidem omnia vt emendarentur et explicarentur, ipse huius operis componendi consilium cepit. Fontes, vnde hauserit, in eadem praefatione indicat. Primum dicit, se attente omnia Petrarchae scripta perlegisse, epistolas inprimis, quae luculentam Petrarchae imaginem exhibent. Non memini equidem quenquam alium scriptorem liberius veriusque de ingenio animoque suo loqui, omni simulatione et dissimulatione procul remota. Non ignoro Montagnium, et, quomodo de se ipse loqui soleat, noui. Sed apertior videtur, et, si fas est dicere, loquacior et inconsultior Petrarcha. Porro consuluit Noster aequales scriptores, historicos inprimis, raro recentioribus vsus: nam, secure altero alterum secuto, vulgo nota tantummodo repe-

repetita sunt. Praeterea et epistolas, nondum editas, et alia monimenta nactus est, quae in bibliothecis latuerunt, Nostroque tradita non potuerunt non consilio illius optime inseruire.

Totum opus in libros *sex* descriptum est. Primo enarrantur natales, educatio et studia Petrarchae: alter ab eo inde tempore, quo poeta Lauram amare coepit, vsque ad lauream acceptam pertexitur: tertio mors Laurae finem imponit. Hos tres libros duo, quae nunc in manibus habemus, volumina complectuntur. Restat tertium, cuius editionem ideo Auctor differt, quia interea temporis hos libros a viris doctis, Italis praecipue, examinari cupit. Nihil enim magis optare se profitetur, quam vt, quae minus recte dicta sint, indicentur sibi, corrigenda ea et in vltimo volumine emendanda. Exponet vero in illa, quam auide exspectamus, parte de domicilio, quod post mortem Laurae Petrarcha Mediolani posuit, de itinere, quod Venetias et Patauium fecit, omniaque, quae vsque ad mortem Petrarchae acciderunt, enarrabit.

Primum Volumen *duo* libros continet, quorum *primi* initium facit co- pagg. 447.

 piosa

piosa descriptio discordiarum, quae seci XIV. Italiam misere afflixerunt. Quibus dictis, Auctor, quae fuerit Florentiae rerum facies, narrat, atque ad maiores Petrarchae et parentes transit. Reliqua libri pars ad pueritiam et iuuentutem Petrarchae pertinet. Quibus studiis operam dederit poeta, quantum superauerit ingenio et doctrina aequalium coetum, quae itinera fecerit, quam operam in veterum auctorum libris conquirendis posuerit, legimus. Videmus puerum Vallem Clausam, illam tot carminibus nobilitatam vallem, adire, captumque loci amoenitate dicere: *En naturae meae locus aptissimus, quem, si dabitur, magnis vrbibus praelaturus sum!* Paullo post illum sermoni vernaculo studere cognoscimus, eoque versus scribere, vt, quae canat, a virginibus legantur, teneroque foeminarum ore repetantur. Succensemus paullum patri seuero, qui filium dura vi Themidis laqueis irretire conatur, Virgiliique et Ciceronis libros in ignem coniicit. Maxime vero placet gratus Petrarchae erga praeceptorem, omnium primum, Conuennolam, animus. Hic cum Auienone summa egestate pressus vitam miseram

feram ageret, non potuit fenis egestatem aequo animo ferre Petrarcha. Succurrere illi, quocunque modo posset, praebere, quantum haberet, interdum libros dare, quos oppignoraret. Aliquando accidit, vt fenex Ciceronis de gloria libros a Petrarcha acciperet, et inopia adactus pignori eosdem daret. Paullo post quaerere Petrarcha, cui dederit: nam se redimere velle: feni haec audienti non rubor folum fuffufus, fed lacrimae etiam obortae: Petrarcha magis inftare nolle: fenex non multo poft mori. Hoc modo praeftantiffimum Ciceronis opus amiffum fuit, nec vnquam poftea Petrarchia copiam illius recipiendi nactus eft.

Secundus liber ab a. 1327. incipit. Delatus fum, inquit Auctor, ad difficillimam vitae Petrarchianae partem. Vtinam velo eam contegere poffim, omnesque ineptias, quas faeuo faucius amore viginti per annos commifit, quarumque fenem poenituit puduitque, a pofteritatis oculis remouere! Nempe de amore Petrarchae erga Lauram fermo inftituitur. quam licet tot verfibus celebrauerit poeta, nunquam tamen de illius familia aliquid dicit, immo ne gentilicium quidem nomen vnquam

 indica-

indicauit. Hanc vero Lauram cum toties laudauerit poeta, cum suauissima carmina pueri puellaeque edidicerint, cum summa fuerit semper de ingenio Petrarchae existimatio: quid mirum, cognoscere voluisse homines propius illam Lauram? Illud mirum est, homines oculis auribusque sanos pro muliere nubem amplexos esse, atque modo Virtutem, modo Sapientiam, modo Poesin Laurae facie atque nomine adumbrari, existimasse. Auctor certis monimentis eruditus ostendit, illam decantatam Lauram fuisse filiam Audiberti de Noues atque Ermessendae: hanc fuisse non procul Auienone domum nobilem et antiquam: post mortem patris Lauram in matrimonium duxisse Hugonem de Sade, nobili Auienonensium familia ortum: matrem fuisse liberorum vndecim: exstinctam a. 1348. d. VI. April. peste, qua tum mortalium plurimi absumebantur. Haec igitur fuit illa Laura, quam posteaquam in aede S. Clarae d. VI. April. 1327. Petrarcha conspexit (*), ita amare coepit,

vt

(*) *Su l'ora prima il dì sesto d'Aprile,*
Nel Labirinto intrai: nè veggio,
ond' esca.

vt de nulla alia re, nisi de ea, cogitaret.

Haerent infixi pectore vultus.

Hinc queritur: hinc coelo terraeque cruciatus narrat: hinc itinera multa facit, Italiam Romamque perlustrat:

Illam absens absentem auditque videtque.

Tandem Dionysium, celebrem eo tempore theologum atque astrologum consulit, quomodo ardorem extinguere possit.

Heu vatum ignarae mentes! quid vota furentem,
Quid delubra iuuant? et mollis flamma medullis
Interea et tacitum viuit sub pectore vulnus.

Inexorabilis manet Laura: quo magis Petrarcha queritur, eo durior haec: ille omnem amoris violentiam perferre, atque in Vallem vndique collibus Clausam abire, vbi se multos annos egisse ipse profitetur *in tanta requie tantaque dulcedine, vt illud tempus fere solum sibi vita esset, reliquum omne supplicium.* Sed quo saeuior fuit Laura, eo faciliorem expertus est Petrarcha aliam puellam, e qua filium, Ioannem, filiam-

que, Franciscam, genuit. Quam leuitatem vt verbosius defenderet, excusaret, emollieetque Auctor, vix opus fuit. Sed fortasse intellexit, plurimos ignorare humanam imbecillitatem, huic nec velle nec posse ignoscere, neque, quantum inter scelera intersit ex animo malo, humili, impudenti profecta, atque lubricas vitae humanae vias, quibus sine aliquo casu Sapientia ipsa, saepiuscule tot blandimentis naturae sopita, difficulter insistit atque ingreditur, intelligere.

Properamus ad volumen *secundum*,
pagg. quo continetur liber *tertius*. Hic eam
495. vitae partem complectitur, quae honorificentissima Petrarchae censetur. Nam, quem Phoebus poetam esse iusserat, hic etiam hominum testimonio laureaque capiti imposita talis indicari voluit. Quare, si recte mecum rem perpendo, nescio, vtrum ineptius sit, viginti annos oculos, frontem, genas, et crines Laurae versibus celebrare, an laurum, eo quidem tempore nondum venalem, sed laurum tamen non in bicipiti Parnasso Musarum manu decerptam, a Senatu Romano accipere, testimonioque scribae, ridiculis formulis concepto, impense laetari? Laurea igitur illa tot votis

expeti-

expetita cinctum in Capitolio Petrarcham paullo post Roma videmus abire, aliquantum Parmae apud Corregios subsistere, Auenionem reuerti, iis legatis, qui Pontificem Romam inuitarent, additum socium, deinde iussu Clementis VI. Neapolin iter facere, hinc reducem mox Italiam repetere, nec tamen oblitum vnquam Lauram, Auenionem cuicunque regioni praeferre, atque modo in Valle Clausa sibi Musisque viuere, modo carminibus amorem canere, modo paullo maiora altiore spiritu loqui. Haec igitur hoc libro narrantur, cuius sub finem Petrarcham in Italiam proficiscentem comitamur, et morte exstinctam Lauram lacrimula pia, quam matri Amorum lubenter damus, prosequimur.

Illo non iuuenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo, sicca referre domum.

Vt copiosius quaedam ab Auctore et subtilius explicari possent, adiunxit ille vtrique parti Dissertationes quasdam longiores. *Prima* pars *duodecim* sibi adiunctas habet. In iis enarrat varia hominum iudicia de Petrarcha, quem ea libertate, qua aulae pontificiae fa- pagg. 79.

 ciem

ciem deſcripſit, multorum animos offendiſſe, facile intelligitur: tranſit ad Lauram, ad familiam illius, et de tumulo, Auienone a. 1533. in templo Fratrum Minorum inuento, ita diſputat, vt, quae Viro elegantiſſimo de la Baſtie ſuborta fuit, dubitationem tollat. Praeter interpretationem carminum quorundam, non poenitebit ea legiſſe, quae de Simone Senenſi, pictore, de Hugone de Sade, aliisque dicuntur. Nemo ignorat, quantum diſputauerint viri docti de verbis illis, quae in fronte codicis membranacei Virgilii, Ambroſianae, quae Mediolani eſt, bibliothecae illati, leguntur, quibusque Petrarcha, vbi Laura a ſe primum viſa, vbi ſepulta ſit, narrat. Accurate Noſter eos refutat, qui ea a Petrarcha ſcripta eſſe negant, pagg. 82. *Alteri* parti Diſſertationes *octo* additae ſunt. In prima coronatio Petrarchae deſcribitur, intexta ea narratione, quae Sennuccium Delbene auctorem mentitur. De hoc ritu etiam alia quaedam Auctor adiicit. In alia attigit Petrarchae de aula pontificia iudicia, quae atrociora cenſet. Sequitur diſputatio de regis Andreae caede, de Rienzio, Pontificem cum patribus Romam citante, de conci-

conciliis olim in Prouincia de rebus amatoriis habitis. Vltimo loco Auctor sententiam suam de amore Petrarchae dicit, quam, quoniam breuiores in reliquis fuimus, paucis repetemus.

Alii, qui Petrarcham hominem natum fuisse sciunt, nihil humani ab illo in amore quoque alienum fuisse credunt: doctiores his alii metaphysicum quendam amorem fingunt, olim Pythagorae et Platonis auctoritate celebratum, illique tetricae sapientiae, cui non Venus cum amabilissimo puero praesidet, sed ipsa, ni fallor, Metaphysica, fronte seuera vultuqe rugis pleno terribilis, praeest, Petrarcham deditum fuisse, nobis persuadere conantur. Quod ad nostrum Auctorem attinet, ille dicit, optime naturam amoris, quo Petrarcha erga Lauram accensus fuit, perspici e dialogis cum Augustino. Illi enim dialogi apertum Petrarchae pectus et ipsam animi sententiam ostendunt. Licet vero ibi primum glorietur, in amore suo *nil turpe, nil obscoenum, nil praeter magnitudinem culpabile* fuisse, deinde tamen *Augustini* quaestionibus eo redigitur, vt se idem concupiuisse et spectasse fateatur, quod omnes amatores

cupere

cupere soleat. Quodsi etiam considerarnus, non satiari posse Petrarcham forma Laurae laudanda, quidni credamus, illum animam cum corpore amasse? Parum vero aut hominum mores aut animos cognitos habeat necesse est, qui inde, quoniam Petrarcha nunquam cum Laura liberius locutus sit, nunquam illi desiderium expofuerit, colligat, a reliquo hominum genere diuersum amorem illum tenuisse. Quanquam quid multis verbis opus est, cum satis clare aliquoties animi adfectum declarauerit ipse Petrarcha? Modo enim, vt idem sibi semel facere liceat, optat, quod Pygmalion saepius, eburnea statua in puellam mutata, fecerit: modo longissimam noctem cum Laura consumere cupit (*). Est tamen etiam illud profitendum, quod luculenter e multis Petrarchae locis Auctor ostendit, nunquam poetam votorum compotem factum fuisse, atque Lauram, robore et aere virtutis triplici pectus contra Sirenios cantus, formaeque illecebras muniuisse.

Enarrauimus totius operis argumentum. Dicenda nunc est de Auctore senten-

(*) *Sol una notte e mai non fosse l'alba.*

ſententia, cui ſumma debetur diligentiae laus. Indefeſſo ille ſtudio e multis libris collegit, quae ad vitam Petrarchae illuſtrandam facere crederet. Hinc factum eſt, vt multa explicaret copioſius, alia accuratius exponeret, quam reliqui omnes. Certe non putamus quenquam fore, qui omiſſum aliquid queratur, quod alicuius momenti ſit. Vt vero omnia luculentius explicaret, intexuit quam plurima Petrarchae carmina. Vbi illud inprimis operam dedit, vt praeter argumenti enarrationem, ad quem verſus ſcripti ſint, et quo tempore, doceret. Qui Petrarchae ſcripta legerunt, interpretumque commentarios cognouerunt, neque facilem hanc rem eſſe ſciunt, et multum ad intelligenda carmina facere. Hac ratione de compluribus expoſuit, qui aut amici Petrarchae fuerunt, aut ad quos ille ſcripſit epiſtolas et carmina. Carminibus, quae immiſcuit, interpretationem addidit Gallicam, Veneresque Italicas verſibus exprimere ſtuduit. Magnum profecto et arduum opus. Nam ſi vere dixit Chriſtina, regina, Petrarcham maximum fuiſſe philoſophum et poetam, principemque inter amantium choros locum

obti-

obtinuisse (*), nec illius scripta ab eo intelligi posse, de quo non idem dici possit: quale, quaeso, quantumue est, inimitabilem poetae gratiam in alia lingua referre? Ipse Auctor se poetam esse negat versusque suos *inuita Minerua* factos esse fatetur. Quid igitur mirum, nos Petrarchae sententias in Gallica interpretatione frustra saepe quaesiuisse, Auctorem duo triaue carmina coagmentasse, vnoque Gallico expressisse, vno verbo, Petrarcham ita interpretatum esse, vt Gallos multos antiquos scriptores in suum sermonem transtulisse nouimus? Equidem lubenter remitterem omnes illos versus interpreti: modo talem nobis interpretationem dedisset, quae spiraret Petrarchae ingenium, de quo eo praeclarius meritus est, quo verius vbique contra morem plerorumque
I. p. 83. scriptorum de eo iudicauit. Nam et Petrarcham duro rythmi imperio adactum saepiuscule aliena epitheta adhibuisse, frigidas sententias immiscuisse, versusque inanes scripsisse fatetur, et alio
p. 87. loco Latinam illius orationem inaequalem esse dicit, non vbique puram, e Cicero-

(*) *Grandissimo filosofo, grandissimo innamorato, e grandissimo poeta.*

Ciceronis, Senecae et Augustini formulis compositam. Immo ne ea quidem carmina, quibus oculos Laurae ita Petrarcha cecinit, vt se ipse superasse videatur, omnibus numeris absoluta esse arbitratur. Quam sententiam quomodo admiratoribus Petrarchae probaturus sit, ipse Auctor videat. Sed forte omnia haec facilius defendi possunt nimis verboso narrandi genere, quo Auctor delectatur. Ipse quidem fatetur, se non historiam scripsisse, sed Commentarios. Intellexit, historiam et res, quas narrat, sollertius eligere, et accuratius disponere, melius partes inter se connectere, atque etiam longe alium sermonem adhibere. Quare ea excusatione vtitur, vt se materiam tantummodo collegisse dicat, quae ingeniosis hominibus ad historiam scribendam sufficiat. Sed longius tamen, quam par est, Auctor vbique euagatur, res alienissimas vi quadam intexit, filumque perpetuae orationis saepius abrumpit. Quid opus fuit, ideo, quia Petrarcha seditiosum hominem, Rienzium, laudauit, totam illius tumultus historiam verbose describere; praesertim cum exstet Rienzii vita, quae Thomae Fortifioccae tribuitur?

Verum

Verum est, attingenda fuisse, quae Petrarchae aetate acciderunt: sed attingenda illa erant breuiter. Quis vero
I. p. 66. in commentariis de vita Petrarchae aut
exspectet longam narrationem de illu-
p. 98. stri Columnensium familia, de Rober-
p. 250. to, Neapolitano rege, de moribus Pon-
tificis Ioannis XXII. aut speret defen-
II. p. 248. sionem reginae Ioannae? Quaecunque eo tempore Pontifices egerunt, aut principes Italiae fecerunt, Auctor exposuit, et accurate omnia narrandi studio eo progreditur, vt, cum curia Romana Auienone fuerit, vndecim quoque lenones
I. p. 69. ibi fuisse, commemoret. Hac ratione, qua non potest non series orationis turbari, non paruam molestiam Auctor lectoribus attulisse nobis videtur. Forsasse erunt quoque, qui in iis, quae ad Petrarcham pertinent et Lauram, non raro diligentiorem fuisse Auctorem existiment, quam necesse esset. Sed hic mos est eorum, qui Petrarcham admirantur. Nouimus alios quaesiuisse, quales oculos habuerit Laura, et Ludouic. Gaudinium disputare meminimus, cur non Petrarcha de naso Laurae locutus sit, qualemque nasum ea habuerit. Quaedam inter legendum a nobis

nobis obseruata fuisse recordamur, quae animaduersionem quandam postularent. Sunt illa fere tenuia. Sed nolumus tamen ea praeterire. Nescire se dicit Auctor, quis ille Prosper fuerit, quem ea tempestate pueros edidicisse Petrarcha narrat. Fuit is, ni fallor, Prosper Aquitanus, cuius vitam Tillemontius descripsit, librosque recensuit praeter alios Fabricius (*). De rhythmi origine et versibus Leoninis multa Auctor meliora dicere potuisset, si quae Elias Maior (**), Ge. Chrift. Gebauerus (†) et Lud. Ant. Muratorius (††) de hac re scripserunt, recordatus fuisset. Quod I. p. 74. denique dicit, linguam Italicam ortam esse e Latino sermone, quo vulgus olim vteretur, vereor, vt hanc sententiam omnibus probaturus sit. Facile credo, idem Romae accidisse, quod hodie in aliis vrbibus fieri videmus, aliud fuisse dicendi genus hominum nobilium, et Romae

(*) In *Biblioth. Latin.* T. III. p. 521.
(**) vid. *Dissertat. Anthologic.* a Gebauero edit. (Lipf. 1733.) p. 309.
(†) Ibid. p. 265.
(††) in Diff. *de rhythmica veterum poësi.* in *Antiquit. Ital. med. aeui*, T. III. p. 660.

Romae viuentium, aliud plebis infimae et rure agentium, vt Barthius (*) oftenderunt et Daumius (**), eorumque propriam fuiffe illam *vrbanitatem*, qua fignificari dicit Quintilianus (†) fermonem prae fe ferentem in verbis et fono et vfu proprium quendam guftum vrbis. quanquam non omnino affentior Aretino (††), qui *diuerfum fuiffe* dicit *a vulgari terminatione, inflexione, fignificatione, conftructione et accentu* politiorum hominum fermonem, *et praeftantes homines oratorem Latine litterateque concionantem praeclare intellexiffe, piftores vero, et laniftas et huiusmodi turbam fic intellexiffe oratoris verba, vt nunc intelligant miffarum folemnia.* Tanta enim differentia nullo idoneo argumento firmari poteft, nec eft probabilis, fi naturam linguarum confideramus (†††). Multo verifimilius eft, Italicam linguam originem fuam debere incurfionibus barbarorum, Gothorum

(*) in *Aduerfar.* XIII, 2.

(**) *de Caufis Amiffar. LL. radic.* c. 24.

(†) in *Inft. Orat.* VI, 3. 17.

(††) in *L. VI. Epift.* p. 273.

(†††) confule Francifc. Philelphum in L. IX. *Ep.* 6. et L. XXXVII. *Ep.* 2.

rum inprimis et Longobardorum. quae fuit inter nostros Cellarii (*) sententia, quanquam non sat luculentis firmisque argumentis vsus sit.

V.

LIBRORVM RECENSIONES MINORES.

I.

Christ. Adolphi Klotzii Historia Numorum obsidionalium. Altenburgi, ex officina Richteria. 1765. pl. 8. cum 4 tab. aer. inc. 8. Illustrata nuper historia numorum contumeliosorum, ad colligendos illustrandosque eos, quos necessitatis causa cusos esse constat, animum adieci. Nam praeter Bozianam disputationem, de qua paullo post plura dicam, non memini quenquam hoc argumentum tractasse. Sed suscipienti hanc operam mihi permolestum hoc accidit, vt, siue quoniam hi numi rariores sunt, et exiguo eorum numero

(*) de *Origine linguae Italicae.* in *Dissertat. Academic. Var. Argum.* p. 90.

ſaepe percuſo, et conflatis mox iisdem aut melioribus permutatis, ſiue quia animus refugit a triſti calamitatum memoria, magisque laetiora et iucundiora amat, minus accurate et viros doctos, qui de re numaria ſcripſerunt, in hac re verſatos eſſe, et hiſtoricos, quae huc pertinerent, non diligenter ſatis memoriae prodidiſſe, inuenirem. Quare cum mihi ipſe non ſatisfacerem, libri titulum mutaui, eoque me tantum numos obſidionales commemoraturum eſſe promiſi, quorum collegi non exiguum numerum. Ipſe vero libellus plura continet, quam titulus indicat.

Praefationis loco diſputatiunculam praefixi de interna numorum bonitate, quae, quod in vſu vitae habent, reſpondere debet pretio, non temere mutanda quidem, ſed minuenda tamen, quando tempora incidunt, quibus ſumma neceſſitas has leges tollit.
p. 7. Deinde in *Cap. I.* enarraui numos, quos, licet eſſet vilior, quam conſtitutum eſſet, valor internus, publice vt loco bonorum vſurparent ciues, vrgente neceſſitate, magiſtratus aut princeps edixit. Exemplum ſat antiquum dat reſp. Romana, quae, bis neceſſitate coacta, immutatio-

mutationem pecuniae vidit. Hinc ad deminutionem aſſis progreſſus, non eam tam immanem fuiſſe, cum Io. Georg. Wachtero oſtendere ſtudui, quam vulgo exiſtimant, Plinii loco non recte intellecto. Alia etiam, quae huc pertinent, p. 17. ſcriptorum loca attuli, diſputationem de aere graui attigi, Perizonii ſenten- p. 18. tiam amplexus, et, an vere viri docti monetam Romanam ſub Antoninis imminutam fuiſſe doceant, quaeſiui. His p. 24. diſputatis, alias regiones perluſtraui, vt Galliam, quam ſub Ioanne monetam coriaceam vidiſſe, hiſtorici narrant, (quo p. 32. loco etiam de numis ex corio factis, quos antiqui ſcriptores memorant, egi) Belgium, Sueciam, quae numis, conſilio Baronis de Goertz cuſis, oppreſſa fuit, Sileſiam et Germaniam. In *Cap. II.* p. 46. egi de numis Caſtrenſibus, ſiue iis, quos belli tempeſtas, pecuniaeque inopia produxit, quibusque militibus in caſtris ſtipendia ſoluta ſunt. Complures quidem Caſtrenſes numos exhibet Io. Iac. Luckius in Sylloge Numismatum rariorum, ſed non recte diſtinxit numos neceſſitatis cauſa cuſos ab iis, qui tempore belli ad memoriam rerum ſeruandam prodierunt. Primum videtur a. 1241. Im- p. 47.

perator Fridericus cudiſſe: ſequuntur
alii Guſtaui I. regis Sueciae, et XXIV.
alii, a variis principibus cuſi. Deni-
p. 65. que *Cap. III.* complectitur numos obſi-
dionales. Sat tenuem de iis libellum
recitauit Claude Gros de Boze in Aca-
demia Pariſina, cuius in Actis ille exſtat.
p. 66. Transtuli illum e Gallico in Latinum
ſermonem et notulas aliquot adieci:
quanquam magis, ne deſideraretur quid-
quam, quam quod dignum aliqua laude
illum exiſtimaſſem, hoc feci. Valde
enim ieiunus eſt, nec cuiusquam exſpe-
ctationem implet. Ego exhibui numos
in vrbibus obſidione clauſis, vrgente ne-
ceſſitate, cuſos LXV. quorum primus eſt
ille, qui in obſidione Tornaci a. 1521.
cuſus eſt, et vltimus a. 1742. procuſus
in vrbe Braunau. Ab hoc tertio capite,
quod reliquis perfectius eſt, libello no-
men impoſui, et reliqua duo tanquam
corollaria addidi, quibus cognitis forte
via ſternetur lectori ad reliqua melius
intelligenda. Hiſtoriam numorum ita
explicui, vt paucis (nam quid opus fuit,
copioſe hiſtoriam docere, quae ex aliis
libris peti debet?) enarrarem, quo tem-
pore quisque numus cuſus eſſet, quae-
que maxime neceſſaria viderentur, at-
tingerem.

tingerem. Quanquam etiam complures horum numorum ipse tractaui et vidi, operam tamen dedi vbique, vt auctores indicarem, quorum in libris iidem numi conspici possunt.

II. Theseus apud inferos aeternum sedens a personati Voltairii cauillationibus vindicatur, Praeside *Io. Frider. Hillero* — Auctore *M. Car. Henr. Sintenis.* Vitemb. 1765. pl. 4. 4. Ante duo annos prodiit Londini, vt titulus praefert, liber ita inscriptus: *Dictionnaire philosophique portatif*, cuius auctorem Voltarium esse quidam suspicati sunt. Sed ipse, iniuriam sibi fieri questus est, illumque librum a se scriptum esse negauit. quare etiam nomen viri ingeniosissimi in fronte huius libelli omitti poterat. Habet illud opusculum varia, quae Christianae doctrinae aduersantur, commemorata ab Auctore nostro, praeterque alia aeternas apud inferos poenas impiis sustinendas esse philosophus ille negat. Protulit inprimis multa contra Virgilii locum notissimum: (Aen. L. VI.)

Sedet aeternumque sedebit
Infelix Theseus,

iam ab aliis quoque Criticis exagitatum; cum illi versus 119. eiusdem libri plane contrarius esse videatur. Haec ita defendit Auctor, vt dicat, illo loco Aeneam loqui, Sibyllam orantem, vt sibi iter ad Acherontem indicet, atque, Theseum suppliciis aeternis liberatum fuisse, dicentem, quae opinio heroum fuerit: eos enim sibi ad fortunatorum sedes migrare visos esse: altero vero loco Sibyllam loqui, Aeneae errorem ostendere, et docere, Theseum aeternas poenas luere. Adduntur alia, quibus, aeternas sceleratis poenas subeundas fore, Auctor ostendere studet, de quibus nihil opus est, sententiam nostram dicere, quam multo mitiorem esse, non negamus. Namque nos in misericordia Dei omnem spem positam habemus, nefasque existimamus, hominem mortalem illam legibus suis constringere audere aut fines velle ponere illi Deo, cuius misericordia iisdem terminis continetur, quibus potestas, sanctitasque, id est, nullis, quamque ideo nos ne cogitatione quidem assequi possumus.

III. Vindiciae Pomponii de materia XII. tabularum: quas — Praeside *Aug. Frider.*

Frider. Schott — defendit *Io. Traug. Kemterus*. Lipsiae, 1765. pl. 2. 4.
Pomponius in *Cap. II. §. 4. π. de Orig. Iur.* narrat, leges a Graecis ciuitatibus petitas *in tabulas eboreas perscriptas* fuisse. Liuius, Dionysius, alii aeneas duodecim tabulas fuisse dicunt. Hinc variae disputationes ortae sunt, quas Cl. *Schott*, qui hoc etiam libello eandem, quam iam aliquoties laudauimus, ingenii et doctrinae elegantiam ostendit, componere studet. Primum enim duodecim tabulas nunquam roboreas fuisse ostendit, (nam haec quoque fuit quorundam opinio) tum de eboris vsu antiquissimo apud Romanos contra Scaligerum disputat, atque e loco Liuii III, 34. rem optime explicari posse existimat: "Cum, inquit, decem tabulae pro-„ ponerentur, nondum perfecto legum „ corpore, hae ipsae mutationi erant „ subiectae, et non nisi ad tempus publice „ perscriptae. Hinc iis sufficiebat ma-„ teria aeuum non latura, qualis ebur „ est. At postea cum, absoluto toto cor-„ pore, duodecim tabulae perpetuum „ duraturae, a Consulibus publici iuris „ redderentur, sumtum est iis scribendis „ aes, quod perennitati consuleret." Pomponium

ponium igitur arbitratur de solis decem prioribus tabulis, a Decemuiris propositis, loqui, easque fuisse eboreas. Illud vnum bona cum venia Cl. Auctoris addimus, Iacob de Rhoer in *Feriis Dauentriens.* L. II. c. 28. eodem propemodum modo iam Pomponii causam egisse.

IV. Prodromus Polonus eruditae veritatis, seu Tractatus de dignitate et vtilitate impedimentis subsidiis sedibusque scientiarum rei litterariae promouendae causa ex occasione Electi Regis Poloniae ex diuersis authoribus concinnatus per *M. Martinum Swiatkowski.* — Berolini et Vratislau. 1765. Alph. 1. pl. 5. 8. Duas in partes hic liber diuisus est, quarum prima duo capita complectitur *de excellentia et vtilitate scientiarum*, et *de impedimentis et subsidiis rei litterariae*, adiunctamque habet disputationem *de origine et natura philosophiae scholasticae*, altera omnia tradit, quae Auctor ad rationem scholarum cum maiorum, tum minorum pertinere credidit. Ipsi quidem intelligimus, quamque plagulam offerre multa, quae irrideri possint, nihilque toto libro posse

posse miserius cogitari. Sed quosdam libellos ne dignos quidem esse iudicamus, qui irrideantur, aut potius eos, qui tristem ingenii imbecilli imaginem exhibeant, non debere facetis iocis exagitari. Carpit lubenter Critice et vituperat errores, verum, vbi eadem videt miseratione dignum esse Auctorem, librumque totum, licet peccatis plenum, ne suauem quidem ridendi materiam praebere, immo, vbi praeuidet, eum a nemine lectum iri, eundem obliuioni relinquit, illiusque longiorem censuram non satis sua persona dignam existimat. Quis etiam plura scire cupiat de Auctore, qui libro suo hunc finem imposuit: *Itaque tu pater luminum, qui lucem visibilem primitias creaturae dedisti, et lumen rationis ad inuestiganda opera tua in faciem hominis inspirasti, opusculum hoc a tua bonitate profectum et tuam gloriam repetens seu pro fine habens tuere et rege.*

V. Πολυβιου του Λυκορτα Ιστοριων τα σωζομενα: Polybii Lycortae F. Historiarum quae supersunt: interprete If. Casaubono, ex recensione Iac. Gronouii — praefationem et glossarium Polybia-

Polybianum adiecit *Io. Aug. Ernesti*, Lipsiae, ap. Io. Paul. Krausium. 1764. Volumina tria. 8. Non solum multo luculentioribus formulis Gronouianum Polybii exemplum in Germania repetitum est, ita, vt omnia, quae illud vtile redderent et commendabile lectoribus, habeamus: sed accepit etiam Cl. *Ernestii* studio, quibus praestantissimi historici lectio facilior redderetur iucundiorque etiam, iuuentuti inprimis, nonnulla. Facta est haec editio ad Gronouianam, nihilque, praeter manifestos operarum errores, mutatum fuit: volumini cuique doctorum hominum, Vrsini, Valesii, Palmerii, Gronouii et vtriusque Casauboni notae additae sunt: Casauboniana versio, licet et a sensu Graecorum verborum interdum abhorreat, et alias etiam ob caussas vituperanda sit, e regione Graecae orationis collocata apparet: denique adiunctum fuit vltimo volumini *Glossarium*, seu Lexicon Polybianum, „non quod, vt Vir Cl. dicit, haberet, „quicquid esset verborum in Polybianis, „quale Reizii V. C. Lucianeum habemus, „nec in quo essent latae de verbis et ac„curatae disputationes, cuius modi Ca„saubonum

saubonum molitum esse, filii indicio „ constat: sed quod ad nostros vsus insti- „ tutum haberemus, crederemusque, suf- „ ficere et ad Polybium tractandum et „ ad lectionem aliorum Graecorum scri- „ ptorum, qui post Polybium fuere. „ Nam recte monet Vir Cl. multa esse a Polybio noue dicta, et forma verborum et sensu et structura: poetica mista prosaicis, Attica vulgaribus, et philosophica historicis ac popularibus: quaedam etiam Latinum sermonem redolere. Hanc vero dicendi rationem alii quoque, vt Dionysius Halic. Diodorus Sic. Iosephus, et Dio Cassius, expresserunt imitatione, ad quorum intelligentiam mire prodest Graecitatis Polybianae accurata scientia. Haec igitur notauit Vir Cl. adspersis subinde aliis breuibus obseruationibus.

VI. ἐναγγελικη Σαλπιγξ συντεθεισα παρα τȣ σοφωτατου Κυριου Μακαριου του ποτε χρηματισαντος της εν Πατμω σχολης διδασκαλου τυποις και αυθις εκδοθεισα δια σπουδης και δαπανης του τιμιωτατου και χρησιμωτατου Κυριου Κωνστη Αβρααμη. ἐν Λειψίᾳ τῆς Σαξωνίας, τυπογραφίᾳ τοῦ Βρεϊτκόφ. 1765. pagg. 378. 4. Ideo hunc librum indicauimus,

dicamimus, quia rarius recentiorum Graecorum opera nobis innotefcunt. Licet enim interdum quaedam his in regionibus operatum formulis defcribantur, omnia tamen ftatim mittuntur in Graeciam exempla, atque vix vnus alterue eorum aliquam notitiam adipifcitur. Lubet tamen nonnunquam ingenia et doctrinam illius populi cognofcere, qui olim elegantiffima edidit opera, cuique totus orbis venuftatis omnis elegantiaeque et exempla debet et praecepta. Verum fi ex hoc libro, quem toti nationi valde probari cum audiuimus ex aliis, tum ex praefatione intelleximus, de Graecorum eloquentia iudicium ferri poteft, quantum hi nunc mutati, quantumque diffimiles illi populo, qui Demofthenem olim, Aefchinem, alios, cum admiratione et voluptate audiuit! Habet hic liber orationes bene multas, quibus aut fanctorum virorum memoria celebratur, aut doctrinae aliquod caput explicatur. De ipfo quidem argumento non noftrum eft quidquam dicere. Alii de fententiarum opinionumque veritate iudicent. Illud vnum dicimus, omnibus fere orationibus fat calide et acerbe pontificios refu-

refutari. Atque etiam in praefatione legimus, ideo tubae nomen libro impositum fuisse, quia et falsae pontificiorum opiniones refutentur eo, et veriores sententiae tradantur. Sed neque aliis doctrinis addictis orator parcit. Leniet forte hunc sacerdotum calorem, qui parum ad pietatis sensum excitandum alendumque facit, mitior aetas. Quod ad ipsum dicendi genus attinet, sermo est barbarus, quali nunc Graeci vtuntur, cum verbis peregrinis quamplurimis admistis, tum pristino nitore omni perdito. Forte haec compensare studuit orator eruditionis copia. Nam vbique Platonis, Aristotelis, Ciceronis etiam atque Flori nomina legimus. Quae doctrinae species quomodo populare dicendi genus, quod vnice eiusmodi orationibus conuenit, deceat, non intelligo. Quid? quod orator mortem vbique dominari, vbique vim suam exserere non aliter dicere se posse credidit, nisi his ampullis et sesquipedalibus verbis: *ποῦ ἡ ὑπερηφανεία τῆς Καρ-* p. 354.
θαγένης; τὴν ἐταπείνωσεν ὁ θάνατος. ποῦ ἡ δύναμις τῶν Βαβυλωνίων; τὴν ἀδυνάτησεν ὁ θάνατος. ποῖος ἐγκρέμνισε τὴν βασιλείαν τῶν Παρθῶν; τίς τὴν

θεσπο-

θεσποτείαν τῶν Μήδων; τὴν αὐτοκρατορίαν τῶν Ἰνδῶν; τὸ μεγαλεῖον τῶν Περσῶν; τοῦ Μήδα τὰ πλούτη; τοὺς βαρυτίμους λίθους τοῦ Κροίσου; τὰ χρυσᾶ σκεύη τοῦ Σαρδαναπάλου; τοῦ Κύρου τοὺς Σμαράγδους; τίς ἦτον ὁ μέγας δυνάστης, ὁποῦ ὑπέταξεν αὐτὰ καὶ ἄλλα μύρια; ὁ θάνατος. Scilicet opus fuit, totum terrarum orbem percurrere, vt rem, quae quotidie ante oculos versatur, intelligerent auditores! Adde his perpetuum allegoricae interpretationis amorem, adde puerile figurarum et exclamationum ſtudium; ſimiles eſſe dices has orationes iis, quas interdum Germania ante emendatam a Moshemio eloquentiam audiuit et legit, quibusque hodie in regionibus quibusdam templa perſonant.

VII. *Abbildungen und Lebensbeſchreibungen berühmter Gelehrten.* Lipſiae, ap. Hilſcherum. 1765. Vol. I. pagg. 356. 8. Qui has vitas ſcripſit, eruditiſſimus in Lipſienſi Academia Profeſſor, *Schroeckhius*, eo maiorem laudem hoc libro promeruit, quo difficilius eſt, bene clarorum hominum vitam exponere. Quod cum vitae genere, et profeſſione, tum ingeniis, moribus et fama valde a

se

ſe inuicem diuerſos elegit, conſuluit ille lectorum delectationi. Hinc non ſolum vitam legimus Hieronymi Sauanarolae, Flacii Illyrici, Ianſenii, Boſſueti, Antonii Arnaldi, Zwingelii, Sirmondi; ſed Theophraſti quoque Paracelſi, Guil. Poſtelii, Seckendorfii, Io. Baptiſtae Ruſſauii, aliorum. Nam XXXII. hominum vitas hoc complectitur volumen, inter quos vltimum locum nactus eſt Angelus Maria Quirini, non vltimus inter viros doctos litterarumque ſtatores et fautores. Cuique vitae imago viri addita eſt, in laminis aeneis radio deſcripta. In ipſis vitis deſcribendis, omiſſa omni verboſa rerum inutilium enarratione, ita Vir Cl. verſatus eſt, vt luculenter, quae ad perſpicienda hominum ingenia et iudicium de illis recte ferendum facerent, exponeret. Quantae hoc artis ſit, quanti ingenii, nihil attinet dicere. Porro ea tantummodo cuiusque ſcripta recenſuit, quae prae aliis operae pretium eſt cognoſcere. Neque enim opus fuit, iis commemorandis, quae nemo nunc legit, qualia ſunt Theologorum, quae concertationes continent, chartam et tempus perdere. Denique illos, quos ſecutus eſt, aucto-

res diligenter laudauit. Vno verbo: vere in praefatione Cl. Vir dixisse videtur, nihil inutile se addidisse, nihil omisisse memorabile. Quis igitur non optet nobiscum, vt complurium vitas idem exponere pergat, qui in hoc libro ingenii elegantiam, perspicaciam animi, et doctrinam accuratam et copiosam vehementer cuique probauit?

VI.

E L O G I A.

I.

Libellus scribendus nobis esset, si, quae ipse *Andreas Petrus Leguai de Premontval* de se fatisque, quae expertus est, variis memoriae prodidit, repetere vellemus. Neque, si verbose ea omnia commemoraremus, careret haec fabula voluptate. Vix enim eum anno huius seculi XVI. Parisiis natum foro et iudicio addixit et consecrauit pater, repugnante filii natura et indole. Philosophiae studium hunc adeo ceperat, vt lites et iura contemneret, parentibusque ob hanc caussam inuisus esset.

Sed

Sed Metaphysices suauitas atque Cartesii, Malebranchii, Nicolii lectio omnes illas molestias leuabat. Tandem paternis aedibus, Metaphysicum incolam non diutius perferentibus, excedere coactus, scholas aperuit, atque iuuentutem Geometriam, Algebram, Physicam docuit, summa rerum inopia pressus, sed frequentissimo auditorum numero cinctus. Nemo vero lubentius forte audiuit magistrum aetate florentem, aut his scholis interfuit, quam filia Pigeoni, artificis Sphaera mobili et ex Copernicana ratione facta clari. Hanc puellam, post patris obitum egenam, Mathemata docuit, et post in matrimonium duxit: hac comite octo fere annos omnes vitae molestias pertulit. Tandem odium, quo Nostrum Iesuitae, sacerdotes, et alii prosequebantur, (cuius generis odio quis resistere audeat, aut quis illud se victurum esse speret?) aliaeque causae illum commouerunt, vt patriam relinqueret. Socia tori socia itineris facta pedibus cum marito, Gallia et Heluetia peragrata, Geneuam peruenit. Hinc mox Freiburgum abiit *Premontvalius*, vbi quatuor menses commoratus est et Mathemata docuit, atque hinc pecunia

redacta, Basileam profectus, ibique, Romanis sacris relictis, Calvini doctrinam amplexus est. A prima enim inde iuventute multas sibi pontificiorum opiniones non sat certas visas fuisse profitetur, nec, quos consuluerit, sacerdotes sibi satisfecisse, minime vero profuisse consilium sacrificuli cuiusdam, a quo D. Mariam perpetuis precibus venerari iussus sit. Heluetia relicta, Belgium petiit, et Hagae Comitum varia scripta edidit, tandem post tot casus et rerum discrimina Berolini anno LIII errorum finem nactus, Academiae adscriptus, ibique mortuus a. LXIV, die II. Sept. Haec igitur omnia iucundam praeberent narrationi memoriam, nisi et nota essent, et e Commentariis (*) facile peti possent. Neque lubet lites, quas habuit cum multis, commemorare. Nam eas obliuioni potius tradere, quam narrando renouare satius est, et audiuimus, in gratiam eum rediisse ante mortem cum viro celeberrimo, quicum inimicitias illum exercuisse constat. Scripsit *Premontvallus* non pauca, quorum indicem dedit, qui doctorum hominum vitas vernaculo sermone exposuit.

(*) *Memoires*. à la Haye. 1749.

posuit (*). Maxime vero nomen viri celebratum fuit libro docto de monogamia (**), iisque, quae de homine (†), aliisque rebus, e Philosophia petitis (††), disputauit. Non equidem memini multa me noua aut recondita in illius libris legere. Sed, quaecunque dixit, eo orationis genere explicuit, quod facile lectorem retinet atque delectat. Praeterea etiam de Philosophia illum subtiliter iudicasse et plerumque vere, obseruauimus. Vnde et iis, qui libris de Philosophia elegantius scriptis, quam vulgus Philosophorum nostrorum scribere solet, oblectantur, disputationes illius lubenter commendamus.

(*) *Des neuen Gelehrten Europa IX. Theil.*

(**) *La Monogamie, ou l'unité dans le mariage.* 1751.

(†) *Le Diogène de d'Alembert, ou Diogène decent. Pensées libres sur l'homme & sur les principaux objets des connoissances de l'homme.* 1754.

(††) *Vues philosophiques, ou protestations & declarations sur les principaux objets des connoissances humaines.* 1758.

II.

Vitam *Iacobi Guil. Feuerlini* non opus est copiosius exponere. A Goettenio, Bruckero, Mosero, Willio, aliisque ea iam descripta est, quorum libri in omnium manibus sunt. Neque ad nos pertinet diuinarum rerum scientia, quam cum ore, tum scriptis professus est ille plurimis. Memoriam vero viri ea de causa negligere noluimus, cum quia magna in illo fuit historiae scientia, studiumque non vulgare Graecarum et Latinarum litterarum, tum quia ingenium illius nobis penitus cognoscere licuit familiari illius consuetudine. Ne tamen omnino taceamus, quae ad vitam eius pertinent, pauca de iis dicemus. Natus fuit *Feuerlinus* anno LXXXIX. superioris seculi Norinbergae, atque cum Altorfi, tum Ienae litteris operam dedit. Ienae Philosophiam docere coepit, eiusdemque tradendae causa scholas Lipsiae aperuit. Hinc in patriam reuocatus, Logices et Metaphysices professor Altorfinus constitutus fuit: cui honori post multos annos munus professoris Theologiae accessit. Condita Gottingae a summo et immortali viro, Munchhusio, Academia Georgia

gia Augusta, conuocatisque, quae fuit sapientia Maecenatis, quo nemo de ingeniis doctorum virorum melius rectiusque iudicat, e tota Germania celeberrimis viris, munus professoris Theologiae primarii Feuerlino offertur. Qua conditione accepta, anno huius seculi XXXVII. Gottingam migrauit, atque primus fuit omnium, cui in ipsa inauguratione et dedicatione Academiae Prorectoris munus honosque publice traderetur. Ab eo inde tempore scribendo docendoque prodesse studuit Academiae, cuius caput fuit per multos annos, placida tandem morte extinctus nuper die X. Maii; celebrata paullo ante obitum memoria professorii, quo L. annos functus fuit, muneris. Quod ad ingenium et studia viri attinet, iuuenis Philosophiam inprimis amauit, atque, vt diximus, alios etiam docuit. Scripsit quoque pro more in Academiis Germaniae recepto non paucos libellos, quibus Philosophiae capita quaedam explicuit. Meminimus illum contra Cartesium disputare, Lockii de vacuo spatio opinionem examinare, atque etiam, cum quam maxime feruerent de Leibnitii et Wolfii opinionibus cer-

tamina, complures libellos, qui ad hanc controuerſiam ſpectabant, edere. Quale his pretium ſtatuendum ſit, non habeo dicere. Nunquam enim eos legi. Audiui tamen, non obſcurum fuiſſe Noſtri nomen inter eos, qui poſt huius ſeculi initium philoſophiam, diuitem tum illam verborum et inopem rerum, tradiderint. Iisdem temporibus litterarum hiſtoriae, cuius addiſcendae cauſa multi ipſas litteras neglexerunt, ſtudium maxime in Germania viguiſſe nouimus; in quae cum iuuentus Noſtri incidiſſet, hinc factum eſt, vt ipſe quoque, quae omnibus probarentur, adamaret. Hinc colligere inſtituit epiſtolas doctorum hominum, e quibus ingenium cuiusque faciliime cognoſci poſſe indicabat, quarumque maximum reliquit numerum: hinc cum multis doctis hominibus, in Italia praeſertim, amicitiam contraxit, accipiendis reddendisque litteris firmatam: hinc eam librorum auctorumque ſcientiam ſibi comparauit, quae nec ſenem deſtituit. Certe non memini me quidquam huius generis ex illo quaerere, quin ſtatim reſponderet, librum adferret et teſtimonium rei ſine multa difficultate inueniret.

Immo

Immo adeo erat huic studio deditus, vt, licet iam prouectior senectute, saepe mecum de Philelphi epistolis edendis ageret. Tam tenaciter inhaerere solet animis prima aetate conceptus amor. Non solum vero eam historiam, quae litterarum fata, quae libros auctorumque vitas complectitur, adamabat, sed ea quoque, quae cum ad Christianam doctrinam tum ad Philosophiam pertinet, maxime delectabatur. Hoc studium testatus est libris de Xenophane, de Cebete, de philosophia Socratis, de Nic. Taurello, de philosophematibus recognitionum Clementi Rom. falso attributarum: illam scientiam ostendunt ea, quae de prima editione Noui Testamenti per Aldum ad Quirinum, de Hulderici epistola, de Cleri coelibatu, de Paulo Fagio, scripsit, vt alia multa praetereamus. Quibus plura addere desiit, posteaquam e muneris ratione alia scribenda sibi esse vidit: quanquam historiae studium plurimorumque librorum cognitionem etiam Theologica viri scripta, quorum edidit magnum numerum, ostendunt. Quod ad mores viri attinet, respondit fronti nunquam non tranquillae et serenae animus

candidus semperque hilaris. Non videor mihi vllum alium vidisse, qui animi laetitiam minus perturbari passus sit quocunque casu. Et acciderunt sub vltimum inprimis vitae tempus viro bono multa aduersa et molesta, in his rei familiaris perturbata et afflicta conditio. ad quiduis enim, quam ad curas domesticas, aptior erat. Iucundissimus igitur senex fuit Noster, facetus, vrbanus inter sobria et rorantia pocula, facundus, cuique, cum nihil haberet, quod senectutem molestam redderet, aderant omnia, quae suauem reddunt senum consuetudinem. Vnde vero hic animus tranquillus et hilaris oriri potuit, nisi ex animo probo nullorumque scelerum sibi conscio? Nec vidi candoris Germani et priscae fidei amabiliorem imaginem. In nullum illius animus maleuolentia vnquam fuit suffusus: nunquam ab illo sermo discrepare: nemini ille solebat inuidere: nemini iniuriam inferre: neminem laedere, vix puerum verbo offendere velle: contra gaudere aliorum bonis, cuiuscunque commodis inseruire, eorum etiam, quos sibi sciebat inimicos esse: ignoscere et bene cupere omnibus. Atque hic animi

candor,

candor, haec φιλανθρωπία cum in tota vita eluxit, tum apparuit etiam illa humanitate, qua aliorum dissensum tulit. Immo illud bonum et placidum ingenium indicare memini mitiores viri de rebus quibusdam sententias; de quibus alios durius multo et acerbius existimare constat. Nam, vt probe recordor, cum aliquando ex illo quaererem, quid de sorte illorum sentiret, qui a Christi doctrina alieni, quales nunc sunt in America multi, qualesque etiam ante Christum vixerant multi, probam tamen et honestam vitam egerint, qualemque futuram illorum post mortem conditionem censeret: haesitauit ille paullum, vt in re magni momenti. Mox vero cum narranti Theologorum sententias acrius instarem, quaeque probabilia censerem, ita proferrem, vt, beatitudinem aeternam iis non esse denegandam, faterer: tandem mihi assensus, eaque de Dei misericordia, de amore, quo se homines inuicem amplecti debeant, de miti erga dissentientes animo locutus est, quae nunquam animo meo excident. Neque ego etiam vnquam tui, virorum optime, erga me amoris obliviscar, qui non minor profecto fuit,

quam parentis erga filium esse solet. Interim, candidissima anima, haue atque vale!

III.

Paucos habuit Belgium aut gloria clariores, aut grauiores auctoritate, aut humanitate politiores, *Tiberio Hemsterhusio*, cuius quae voce nunc caret, Lugdudunensis litterarum Vniuersitas magno sese ornamento spoliatam putat. Copiosissima ille eruditione instructus atque inprimis Graecae linguae exquisita scientia praeditus, cum discipulos habuit quam plurimos, quorum non pauci doctrina et libris magistri disciplinam testati sunt, tum ea reliquit eruditionis et industriae monimenta, quae memoriam viri immortalem reddent. Addixerat enim operam suam explicandis illustrandisque antiquis auctoribus, quorum lectionem si nulla futura est aetas, quae negligat, quomodo, eandem victurum Hemsterhusii nomen cognituram esse, negabimus? Tyrocinia vero Criticique studii documentum dedit in Pollucis Onomastico, cuius posteaquam septem priores libros Io. Henr. Lederlinus ediderat, successit oneri Noster et reliquam partem

cum

cum emendauit, tum illustrauit (*). Ostendit iam tum, qualis futurus esset, specimenque dedit maioris eruditionis, quam notae Hesychio Albertiano longo post tempore (**) inspersae praeferunt. Inprimis vero bene meritus est de Luciano, cuius dialogos non paucos et Latine reddidit et commentariis ornauit. Eandem operam praestitit Aristophanis Comoediae, quae Plutus inscribitur (***); omnesque boni interpretis et acuti Critici numeros expleuit. Minora alia opuscula silentio praeterimus. Norunt enim, qui has litteras curant, non paucis veterum scriptorum editionibus ornamenta quaedam accessisse Hemsterhusii studio et humanitate: communicatis cum editoribus animaduersionibus doctissimis, quales cum nouissimam Thomae Magistri editionem, tum Callimachum Ernestianum decorant. Litteras docuit Noster primum in Gymnasio Amstelodamensi, anno aetatis XXI. muneri admotus, (nam natus fuit Groningae anno superioris seculi LXXXV.) mox Graecas litteras Franeckerae docere iussus.

(*) Amstelod. a. 1706.

(**) Lugdun. Bat. 1746.

(***) Harlingae, 1744.

iussus. Inde Lugdunum vocatus et easdem litteras et patriae historiam iuuentuti tradidit, summa, vt par erat, auctoritate, magnaque apud exteros fama conspicuus, communisque fere omnium, qui nunc in Belgio viuunt, eruditorum hominum praeceptor. Obiit nuper d. VII. Aprilis, natus annos LXXXI. Nemo igitur illo vitae Academicae aut, si dulcis ea est et iucunda, suauitatem magis percepit, aut, si, vt multi existimare videntur, vitio hominum parum vitalis redditur, parumque delectationis habet et liquidae voluptatis, molestias diutius pertulit.



CON-

CONSPECTVS LIBRORVM
QVORVM CENSVRAE
VOLVMINIS III. PARTE II.
CONTINENTVR.

CORRI-

CORRIGENDA IN P. I.

Praef. p. 3. l. penult. *largitus.* p. 13. l. pen. *animaduerteret.* p. 14. l. 3. l. *quarum.* l. 6. l. *cum* pr. *dum.* p. 22. l. vlt. l. *extr.* p. 23. l. 14. l. *maiores nostros* pro *nostri.* p. 3. l. 24. l. *quod* pr. *quid.* p. 12. l. 20. *purgatur.* p. 23. l. 21. l. *Aegyptios.* et l. 25. l. *Aegyptiis.* p. 25. l. 26. *fuisse dicat.* p. 30. l. 15. dele *de.* p. 34. l. 19. l. *catalogum* pr. *cal.* p. 35. l. 3. dele *quoque.* p. 36. l. 25. l. *ostenderit.* p. 40. l. 7. l. *Num* pro *nam.* p. 45. l. 24. l. *reprehendit.* p. 46. l. 14. *quis* pr. *qui.* p. 49. l. 8. l. *Argenuilii.* p. 63. l. 8. l. *lepore.* p. 69. l. 6. *Notae.* p. 96. l. 6. *Athalarius.*

ACTA
LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS III. PARS III.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIↃ IↃ CC LXVI.

[illegible]



I.

L'Antiquité dévoilée par ses Usages, ou Examen critique des principales Opinions, Cérémonies & Institutions religieuses & politiques des differens Peuples de la Terre. par feu M. *Boulanger*.

Amstelodami, ap. Marc. Mich. Rey. 1766. T. I. pagg. 400. T. II. pagg. 404. T. III. pagg. 419. 8.

Benignam hic liber ridendi, exagitandique mirificum ingenium Auctoris, quem si loquentem audias, Harduinum aliquem aut Hermanni Hardtii discipulum te audire putabis, materiam praebet. Maximo enim ille conatu hoc egit, vt inanibus somniis speciem aliquam probabilitatis conciliaret, obscura diligentia ex plurimis libris collectis omnibus, quae profutura pu-

taret, neglectisque sapientissimis praeceptis, quae antiquitatis scrutatori cum ratio ipsa, tum prudentissimorum hominum exemplum dedit. Certe paucos nos meminimus libros legere, qui minorem lectori vtilitatem praestarent, magisque nostram exspectationem fallerent. Tituli enim nouitate allecti, excitati laudibus, quibus in praefatione Auctor ornatur, suspensique opinionum et rerum insolentia, auide legimus librum, cuius magna parte cognita, nos turpiter deceptos esse intelleximus, bonasque horas pessime nos perdidisse doluimus. Sed irridere Auctorem, qui ante aliquot annos diem suum obiit, illiusque sententias iocis refutare non lubet. Parcamus mortuis, quibus nostrae censurae nihil prosunt, atque eos tantum, qui nunc viuunt, moneamus, ne hoc libro sibi comparando legendoque pecuniam et tempus male collocent. Quod quomodo melius efficiemus, quam Auctoris sententiis ex libris, in quos opus suum diuisit, sex collectis et quasi in vna tabula propositis? Ab vltimo igitur libro nobis initium faciendum est. Hoc enim demum cognito, discimus, quorsum recidant tot operosae disputa-

disputationes. Sic semper suspensum animum lectoris tenet:

Semper ad euentum festinat et in medias res
Non secus ad notas auditorem rapit:

atque, vt addamus, qui apud poetam sequuntur, versus, quoniam iis optimum de toto libro iudicium continetur,

ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Tota vero Auctoris opera in eo versatur, vt tristem faciem terrae, hominumque miserrimam conditionem post illud, quo totus terrarum orbis oppressus fuisse dicitur, diluuium describat. Ita enim omnia, quae eo tempore acciderunt, cognita habet, vt ipsis rebus interfuisse, oculisque omnia conspexisse videatur. Non solum vero haec describit, sed persuadere quoque cupit lectoribus, primum omnes ritus omnium fere populorum, institutionemque dierum festorum et mysteriorum opinionibus niti tristibus, harumque vnicum fontem esse diluuium: hinc omnia humana instituta orta esse, lugubria ideo, et moesta olim, quorum

magna pars nunc quoque vigeat, magnaque etiam ad posteros transitura sit: illas denique regionum inundationes, quae apud varios populos accidisse dicantur, omnes ad primam illam et communem terrae totius inundationem referendas esse. Etenim vnum tantummodo diluuium fuisse omnes populos expertos, iis argumentis docet (*), quibus

(*) T. I. pag. 91. Les Phrygiens plaçoient un déluge sous le Roi *Annac.* Ce déluge ne pourroit-il pas être le même, que celui *d'Inachus: Annac* & *Innach* n'étant, que des dialectes d'un seul & même nom. Une autre dialecte se présente encore sous le nom de *Noë*, qui se prononce *Noach* en Hebreu & auec l'article *Hanoach* ou *Anuach.* Ces trois déluges n'en sont probablement qu'un seul, & l'on peut leur joindre à coup sûr celui du Deucalion d'Athenes & d'Hierapolis — les Phrygiens prononçoient indifférement *Annac* & *Cannac*, ce qui nous décide à regarder *Chanac*, qui se prononce également *Hanac*, comme la racine de ce nom. Il signifie *commencer, dédier, fonder, établir.* *Annac* est ainsi un nom trés-convenable à celui, qui a vu ou commencé un nouvel ordre de temps &c. confer. p. 187.

bus non opus est, aut illustrandi, aut refutandi causa, quidquam addere. Sed ipsam narrationem audiamus.

Non eo, inquit, tantum tempore, quo diluuium accidit, sed illis quoque, qui et praecesserunt et secuti sunt, annis summa fuit naturae turbatae et commotae confusio. Ordo anni tempestatum turbatus: non hiems aestatem, non dies noctem ex aeternis legibus excipiebant: tota natura vehementissime fuit concussa. Causa praecipua, vt alias taceamus, tribuenda est mari irritato, suisque sedibus egresso: motibus grauissimis tellus fuit agitata, et aquae magna vis ex illius sinu eiecta: ignis denique terra erupit, montesque ignivomi summam miseriam auxerunt. Fumus et atri vapores aera implebant et lucem rapiebant terrae. Vt haec redderetur, atque aer purificaretur, perpetui imbres coelo decidebant, atque omnia inundabant. Sic rediit solis lumen nouaque vita servatis ab interitu hominibus, et omnium rerum confusione perculsis atque terrore, dolore, timore exanimatis. Sed mansit longo post tempore non multo laetior terrae facies. Igne subterraneo incensa terra

 exhala-

exhalabat humidos vapores: nebulae aëra obscurabant: solis splendor pallidus erat et calor exiguus: nec luna, nec astra noctem illustrabant. Hisce omnibus tandem in meliorem faciem mutatis, nubibusque dissipatis, nouam vitam sensere, quae communi orbis euersioni superuixerant animalia. Homines antris excedebant, aut montibus descendebant, vbi seruati fuerant. Huc enim se se contulerant, quia caloribus, ventis, signisque variis multis annis ante haec euersio indicata fuit. Quales vero hominum mores animique fuerint, optime intelligi potest ex fabulis Sinensium, antiquissimi omnium, quorum memoria ad nos peruenit litteris consignata, populi, atque ex iis, quae Plato narrauit. Homines post diluuium pauperrimi, miserrimi, tristitia et dolore pleni, solitarii, in montibus habitauerunt: omnis laetitia ex illorum animis deleta: nullum studium, nulla cupiditas genus humanum propagandi: vox naturae sero audita et raro: coelibatum Deo, hominum generi irato, placere credebant: procreatio sobolis casu et forte fortuna, non studio, facta: tristitia omnium communis reparationem

nem generis humani maxime retardauit: omnibus, qui in rerum natura accidebant, casibus antiquus terror renouatus, atque inde cum memoria diluuii timor ad posteros longe propagatus est. Hinc homines, qui, semper illius infortunii magnitudinem recordati, grauissimo terrore et timore excruciabantur, variis modis Deum placare aggressi; hinc ritus illi sanguinarii, lugubresque in festis diebus: quotidie finem mundi adesse credebant, idemque, finito quoque mense, anno, lustro, seculo, timebant; vnde et lugubris, quam tempore quoque instituebant, religio explicari potest. Hominum genere ad exiguum numerum redacto et presso inopia, idem consilium, eadem voluntas non potuit non plurium animis inesse. Hinc conuentus orti, et societates amor mutuus, concordia, sanctitas, simplicitas, aequalitas composuit. Haec fuit illa *aurea aetas*, tot fabulis poetarum celebrata, quibus ad veritatem nihil deest, nisi quod laetam terrae faciem pinxerunt. Status ille hominum mere religiosus fuit: memoria malorum semper cum timore futuri angebat animos: consolationibus

mutuis se inuicem excitare studebant: aurea aetas lugubres peperit ritus, tristesque caeremonias religionis. Leges tum erant nullae, nec indigebant familiae angustae, nec nisi de rebus tristibus cogitantes loquentesque: omnium artium ignorantia, neglectus agriculturae et vtilium rerum inscitia sequebatur. Tandem magis aucto post multos annos mortalium numero, duplex hominum genus exstitit: alterum diutius in suis regionibus restitit, atque hinc ampliores societates coaluerunt: alterum vagabatur per orbem, atque hinc illae ferae nationes ortae, quas hodie etiam quasdam regiones incolere constat. Apud illos leges renatae, imperia orta et cultus religiosi effloruerunt: ab iis primi populi politiores orti. Interim iidem sensim paullatimque sententias et ritus assumsere, quos fabulae pepererunt et aluerunt: atque hinc Theocratiae veram naturam, quam solam antea agnouerant, obliti sunt, atque regum demum imperium acceperunt.

Hanc dicit Auctor veram esse descriptionem antiquae naturae euersionis, cuius vltimam partem diluuium esse censet, cuiusque diuersam narrationem e

diuerso

diuerso regionum situ ortas putat. Editiora loca magis ignis afflixit, depressiora aqua: illorum ciues flammis combusti, horum incolae vndis submersi fuerunt. Hinc etiam putat, in variis mundi regionibus quosdam huic ruinae supervixisse. Totum quidem orbem expertum fuisse hanc calamitatem: non vero omnia animalia extincta vbique, non omnes homines submersos. Siue vnam dicas familiam in Armenia seruatam, siue centum locis centum incolumes restitisse: semper tamen verum est, inquit, genus humanum fuisse deletum, reliquiasque misere dispersas. Quod omnes veteres nationes Autochthones, Aborigenes, Indigenes esse et audire voluerint, hanc opinionem deberi paruo hominum numero, qui in quaque regione communi calamitati superuixerint. Neque mirandum esse, veteres historicos de his omnibus tam parum luculenter exposuisse. Immensum inter diluuium et primos historicos temporis spatium interiectum fuisse: allegoricum stilum obscurum euasisse et fabulosum: historicos non omnia cognita habuisse: magistratuum curam rerum veritatem occultasse, vt a tristitia summa ad

hilari-

hilaritatem ciuium animos traducerent.

T. III. p. 321. Haec sunt igitur illa mysteria, quae iis inprimis, qui aliis imperant, narrauit Auctor; quorumque explicationem iis vtilem fore putauit: haec est illa veritas (*), quae latuit adhuc, multoque studio ab eodem in lucem protracta fuit: haec est illa doctrina, qua illustrasse (**) sibi videtur humani generis historiam. Si, quibus argumentis tantam rem efficere potuerit, quispiam quaerat, illum ipsum loquentem docentemque audiat, necesse est. Modo enim in Graecia versatur, modo in America, modo in Africa: nunc allegoricae interpretationis ope summa mysteria eruit, nunc Rabbinicas nugas non contemnendas esse docet (***), maxime

ib. p. 322.

(*) *Telles sont les réflexions, qui m'ont déterminé à révéler aux hommes des vérités, qu'une étude profonde & assidue de l'antiquité m'a fait entrevoir.*

(**) p. 406. *je me flatte du moins, qu'il résultera de mon travail une masse totale capable de porter la conviction et de jetter du jour sur les parties les moins éclairées de l'histoire du genre humain.*

(***) P. I. p. 348. *Nous ne dédaignerons point de consulter les traditions de ce peuple*

ibe vero originibus verborum et nominum explicandis delectatur. Quidlibet enim in quolibet verbo latere, tam ingeniose docet, nihil vt supra. Nos vnicum exemplum infra scripsimus (*).

Diximus, sex libris hoc opus absolui. Quid igitur in reliquis *Boulangerus* egerit, paucis explicandum est. Illum vbique sui similem esse, ipsi lectores nostri facili coniectura assequentur. Vbique argumenta conquirit, quibus docere conatur, tristem diluuii recordationem

peuple & sa mythologie rabbinique, utile en ce qu'elle est un excellent supplément à la mythologie des autres nations.

(*) P. II. p. 151. Nous pensons donc que le mot *Sibylle* est le même que *Siba-el* ou *Sub-elium*, & qu'il signifie *retour de Dieu*, *période divin*, *révolution divine*, c'est-à-dire la grande année, ou, comme on disoit en Egypte, l'année Eliaque, ce qui signifie encore la même chose, qu'*année de Dieu*. p. 152. Suivant Pausanias la Sibylle de *Cume* s'appelloit *Demo*. le mot de *Cume* viendroit-il par hazard de *quimah* & *Ethequimah*, *surrectio* & *resurrectio*? *qum* signifie *surgere*, *stare*, se lever, être *stable*. *Demo* ne pourroit-il pas venir de *Dum* & *damam*, *silere*, *dumah*, silence, sépulchre, enfer, espérance?

tionem omnium rituum dierumque festorum matrem et magistram fuisse; eorumque naturam fuisse tristissimam.

p. 35-268. Hinc in libro *primo* collegit varia populorum multorum instituta, quibus eos diluuii memoriam renouasse arbitratur. Factum hoc esse putat cum Hydrophoria Atheniensium, quam antiquissimis temporibus institutam fuisse dicit, tum duobus festis diebus Hierapoli Deae Syriae dicatis, porro aqua hausta e fonte Siloa in festo Tabernaculorum. Effusio aquae Ithome fiebat, natali die Iouis. Cur vero? nempe Iupiter, filius Saturni, qui praeerat successioni temporis atque annorum, nouum temporis rerumque post diluuium ordinem indicat. Quid? quod ipsa vrbs inde nomen accepit. Nam in lingua Orientis eo tempore *Ithòm* infantem indicabat. Nolite negare, eos dies, quos Argolides celebrabant ob raptum Proserpinae, quibusque faces accensas in fossam profundam iactabant, aliud quidquam indicasse, quam diluuium. Nam fossa illa templo Neptuni proxima fuit. Certantibus vero Iunone et Neptuno de imperio regionis, atque Inacho Iunoni fauente, Neptunus omnia aquis opplebat: mox

vero

vero Iunonis, precibus et Inachi sacrificiis placatus motos componit fluctus. Quis non intelligit, aëris et aquae contentionem adeoque diluuium indicari? Vnde orta est plurimorum opinio de aqua sub Neptuni templo? cur nugaces Iudaeorum scriptores putauerunt, sub templo Hierosolymitano aquam latere? cur tot populi in maris et fluuiorum ripis sacra fecerunt? cur nunc quoque multi diuinos aquae honores habent? cur in omnibus sacris homines se aqua lauabant? Haec omnia a diluvii memoria orta sunt. Hinc etiam libationes, lustrationes, expiationes (*) aqua factae, vt acutissimus mortalium docet. Bacchanalia, Orgia, Eleusinia, Panathenaica, Saturnalia, nulla alia de causa instituta sunt, quam ob diluuium.

Nullus

(*) p. 129. *que toutes ces eaux expiatoires aient été destinées à representer les eaux du déluge, c'est ce, qu'on doit connoître au premier coup d'oeil. Une expiation étoit une déluge artificiel, qu'un homme, qui se sentoit criminel, faisoit passer sur sa tête & comme pour prévenir la punition divine et pour obtenir sa grâce par cet aveu de sa faute & par cette summission volontaire à la peine, qu'elle avoit méritée.*

Nullus est populus, qui non solerti rerum scrutatori idem egisse videatur. Persae, Aegyptii, Japonenses, Sinenses, Mahommetani, uno verbo, omnes Orientis populi variis ritibus et institutis ad diluuium respexerunt. Tota Herculis historia, atque omnes fabulae de Gigantibus notae sunt. Sed nemo adhuc intellexit praeter Nostrum, sub iis latere historiam diluuii. Nemo enim, quanta mystéria nomina Titanum contineant, vidit. Fortasse neque intellexit quisquam, quae de deorum vulneribus, pugnis, doloribus narrantur. His omnibus historia diluuii adumbratur.

p. 269- Acuta haec sunt, meherole! et inge-
400. niosa: sed minime inferiora his, quae in *secundo* libro occurrunt. Namque in eo totam antiquorum populorum religionem tristem fuisse et moestam, *Boulangerus* docet. Hinc lugubres sonitus omnibus diebus festis audit: hinc tradit, Romanos dies religiosos tanquam tristi omine infames considerasse, et a reliquis distinxisse, quia mala fata praesagirent: hinc, quod diebus festis antiqui a labore quieuerint, nihil egerint, nec iter fecerint, nec aliud quidquam,

mero

mero timori et omnium malorum exſpectationi tribuit. Cereris, Oſiridis, Iſidis, Adonidis ſacra nonne lugubria ſunt? Ipſum Bacchum male exiſtimauerunt poetae laetitiae auctorem datoremque (*). Quam plurimi etiam ritus domeſtici antiquorum lugubres ſunt et diluuio originem debent. Nulla alia cauſa eſt, cur incolae Phrygiae et Paphlagoniae lacrimantes ſeuerint. Quid denique fecit ſolitarios, feros et vagantes populos aliud, quam diluuii recordatio? Miſera mundi facies inſpirauit taedium vitae, ſocietatesque effecit monaſticis ordinibus ſimiles. Reliqua huius capitis pertinent ad cultum montium; ad oracula, quae dicit primitius conſulta a mortalibus, quoties inſoliti aliquid in rerum natura acciderit, de phyſicis reſpondiſſe: ad abſtinentiam e propaganda ſobole: vbi quis credat virginum Veſtalium originem a diluuio repetitam eſſe?

Sed noua nunc meliorque rerum facies oſtenditur in libro *tertio*, qui de myſte- p. 1-226.

(*) p. 274. *Bachus eſt dérivé de βαχειν, crier, burler, racine* בכה, *bacab, pleurer.*

myſteriis exponit. Haec myſteria homines e feroci et triſti ſtatu traduxerunt ad mitiores mores et ſocietates iunxerunt: horum a magiſtratibus inſtitutorum et primis legum latoribus finis fuit, celare homines, quae acciderint, occultare cauſas, cur dies feſti inſtituti primitus, agriculturae et propagandi generis humani ſtudium inſpirare, vt oblivionem triſtiſſimorum caſuum efficerent, ignorantiam veritatis ſtabilire, antiquos terrores eximere. His myſteriis initiatos hiſtoriam mundi, euerſionem illius antiquam, et futurum rerum omnium interitum, immortalitatemque animi cognouiſſe, id quod ipſum nomen indicare addit (*). Hoc modo populos, miſeria et triſtitia priſtina deterſa, politos fuiſſe, horumque myſteriorum auctores prudentiae laudem mereri. Libros Sibyllinos, qui hodie exſtant, interpolatos quidem eſſe, non tamen omnino mutatos: apparere ex his, triſtiſſimos in iis caſus tum phyſi-

cos,

(*) p. 69. c'étoit-là ce qui faiſoit appeller *Teletes* les doctrines cachées, que l'on y enſeignoit: ce mot ſignifie *les choſes de la fin*, parce qu'elles étoient relatives à la fin du monde & à ſa deſtruction.

cos, tum ciuiles praedictos, atque ideo eorum lectionem occultatam fuisse: in Ecloga Virgilii quarta nouum regem annunciari, id est, mundi reparationem. — Non licet repetere alia, quae ingeniose hic dicuntur. Astrologiae originem quis in stultitia aut superstitione hominum quaerat? Quia e coelo totius orbis calamitas descendit, inde coelum perpetuo prima aetas contemplabatur. Eadem de causa omnia coeli signa, cometas, tonitrua, timebat. Nam semper primorum temporum mala in animo versabantur. Legum latores primi haec celabant plebem, vmbraque allegoriarum et mysteriorum occultabant omnia. Ipsum etiam Mosen dicit variis modis occultasse Hebraeis veram originem dierum festorum: ad sapientem et mitiorem Dei cultum eos adducere voluisse: inde tristes illas imagines de Deo terribili, vindice scelerum, remouisse, festorumque dierum originem ex historia hebraica repetiisse: eadem de causa Mosen nihil de immortalitate animi et vita futura dixisse, quia perpetua exspectatio finis mundi societati antea obfuerit, et salutem publicam maxime conturbauerit: ante Mosen fuisse

T. I. p. 69.

T. II. p. 45.

religionem, quam *diluuialem* appellat, id est, tristissimum timorisque plenum Dei cultum, omnibus populis commu-
T. II. nem: huius naturam imitasse Mosen:
p. 175. et omnia, quae pristinam tristitiam renouarent, studiose euitasse: hinc etiam nullos solis defectus in antiquissimis Hebraeorum monimentis narrari. etc.

Subtilior reliquis est liber *quartus*. Diuersa enim spatia, in quae tempus diuiserunt homines, omnia orta sunt e diluuii memoria. Nunc igitur, cur ab occasu solis inceperint homines diem, intelligimus. Namque Sinenses docent, media nocte, altum Chaos euanuisse: nunc cognoscimus, cur nos tenebrae noctis terreant, reditusque solis exhilaret. Cur annus in menses distributus sit, cur multi dies festi non prope aut solstitio aut aequinoctio absint, vnde opinio de numero septenario et magno anno orta sit, edocemur. Omnia haec peperit diluuii tristis recordatio et exspectatio mundi euersionis, quacum semper coniuncta fuit opinio de Deo iudice et euersore terrae venturo: quanquam illa a legum latoribus multum obscurata fuit, quia quieti et societati aduersatur. Quis credidisset, fabulam de

aue

aut Phoenice tot mysteria continere de huius orbis reparatione?

In libro *quinto* examinantur omnes dies festi, quos aut sub finem (qui semper in memoriam reuocauit pristinam calamitatem, imminentemque ostendit ruinam) aut sub initium annorum mensiumque celebrauerunt antiqui. Omnes funebres esse censet Auctor omnesque ob tristissimas caussas institutos. Imprimis agit de Sabbatho Iudaeorum, quem lugubrem diem fuisse dicit primitus: eo enim recordatos homines malorum, quae perpessi, et timuisse futura: fuisse eum diem Mosis aetate antiquiorem, qui, inquit, licet reformator reparatorque illius fuerit, non tamen opprimere omnino potuit tristissimas cogitationes, cum illius origine coniunctas. Ita etiam festum Paschatos, si natura illius examinatur, triste et moestum fuisse, docet.

Nonne vere dixi, *aegri somnia Boulangeri* hunc librum continere, quae quis refutatione digna esse censebit? Quemcunque alium scriptorem si totum terrarum orbem fluctibus oppressum fuisse dicere audirem: in contrariam partem adferrem quaedam, minimeque

probabilem hanc opinionem esse ostenderem. Possunt enim iis, quae Isaacus Vossius et Stillingfleetus dixerunt, nonnulla addi. Sed vbi cum homine putidi cerebri nobis res est, vbi librum legimus, qui totus ex nugis et ineptiis consarcinatus est, quis operae pretium esse credat, de emendandis aut corrigendis erroribus cogitare?

II.

Frid. Sam. de Schmidt — Opuscula, quibus res antiquae, praecipue Aegyptiacae, explananantur.

Carolsruhae, in offic. Macklotriana, 1765. pagg. 412. 8.

p. 383. Vere gloriari videtur Cl. *Schmidius*, se *Aegyptum vt alteram patriam amare.* Luculenter enim aliquot documentis ostendit, plurimum se operae in cognoscenda antiqua Aegyptiorum historia posuisse, nec infelici studio collegisse multa, quae aut alios plane latuerint, aut minus recte ab iis fuerint explicata. Ad antiquitatem vero Aegyptiacam bene illustrandam inprimis Auctori prodesse videtur ingenium, ab omni mysteriorum quaerendorum amore

re alienum, obscuraeque diligentiae, quae argutias captat, facilia negligit et aperta, recondita et difficilia sectatur, infensum. Quod cum deesset multis, qui sibi res Aegyptiorum enarrandas sumerent, quid mirum est, eos multa tradidisse inepta atque ridicula? Nostri quidem Auctoris ingenium, praeter alia, indicauerunt iam diu tria, quae primo loco in hoc libro apparent, opuscula. Edita enim iam alio tempore fuerunt, nunc illa aliquot accessionibus auctiora. Quarta dissertatio cum quinta nunc primum prodit, multa eruditionis copia plena, reliquisque omnibus, siue argumenti praestantiam, siue Auctoris doctrinam spectes, praeferenda. Sed singulas recenseamus.

I. *De Zodiaci nostri origine Aegyptia.* p. 3-68. Enarratis doctorum hominum opinionibus, V. Cl. suam coniecturam proponit, nam ipse, se certam cognitionem assecutum esse, negat. Putat vero Graecos Zodiacum, quo hodie vtimur, accepisse ab Aegyptiis. "Hi „ enim, inquit, quodlibet signum vni „ ex diis suis singulari modo consecra- „ runt, et iis repraesentationibus insigni- „ uerunt, quae his numinibus in eorum „

 hiero- „

„ hieroglyphicis notis sacrisque monu-
„ mentis tribui solebant, idque ita, vt
„ vnicuique horum Deorum, quantum
„ id fieri potuit, illud sidus sacraretur,
„ quod cum cultu, quem Aegyptii ei
„ exhibuerunt, conueniret, et qui fe-
„ re totus Astronomicus erat et Physi-
„ cus, Aegyptiorum regioni adaptatus".
Quare in tota disputatione Auctor in-
primis hoc agit, vt refellat eos, qui
Zodiacum Aegyptiorum et Graecorum
dispares fuisse arbitrantur, atque deinde,
per singula Zodiaci signa eundo, osten-
dat, vnde quodlibet eorum nomen suum
acceperit, et cui deo apud Aegyptios
tributum fuerit. Aries in Zodiaco Aegy-
ptiorum Ammoni sacer fuit, qui prae-
ses habebatur aequinoctii verni: Tauro
Apis, Geminis Horus et Harpocrates re-
spondebant. Cancrum Anubidi, seu Mer-
curio, Leonem Osiridi, Virginem Isi-
di consecrauerant. [Miror, Virum Cl.
ignorasse praeclarum Tobiae Neubron-
neri libellum de hac re in Academia
Gottingensi, Gesnero praeside, scriptum
et propositum (*). Praefert enim mul-
tam

(*) Dissertatio exhibens historiae Zodiaci sectionem primam de inuentoribus Zodiaci. 1754. pagg. 50.

tam diligentiam, nec vulgares eruditionis notas; immo, vt libere fateamur, nisi superior, certe par est *Schmidii* libello.]

II. *de Cepis et Alliis ab Aegyptiis cultis.* Aegyptiorum circa cepas, allia porrumque superstitionem nonnulli memoriae prodiderant, quorum testimonia Cl. Auctor collegit. Alii Aegyptios cepis abstinuisse scribunt, non quod eas adorarent, sed quod penitus abhorrerent ab iis: quanquam nec alii desunt, qui in victu cepas adhibitas fuisse dicant. Hinc Auctor coniicit, non in omni Aegypto eam superstitionem viguisse, sed in vno tantum Nomo apud Pelusiotas. His in oris Typho sedem fixerat, qui maris praeses credebatur. Huic igitur cepa marina sacra fuit, quae etiam oculus Typhonis appellabatur. Ceteris cepis, hac sola specie excepta, vti Aegyptiis licuit. p. 71-96

III. *de Orphei et Amphionis Nominibus Aegyptiis.* Illud Hori seu Apollinis, hoc Ammonis seu Iouis filium indicare dicit Vir Cl. multis subtiliter disputatis. Nobis quidem eiusmodi laborem, qui in re, nec vtili, nec iucunda, ponitur, parum placere, ingenue fatemur. p. 105-122.

125-379. IV. *de Commerciis et Nauigationibus Ptolemaeorum.* Hunc libellum magna prae reliquis laude dignum esse iam diximus. Primum in eo docet Auctor, vetustissimos Aegyptios commercia extera et nauigationes non curasse, internis commerciis contentos. Tum de illis agit, quae Ptolomaei in commerciorum nauigationumque gratiam in Aegypto facere aggressi sunt, vt, quibus auctoribus, qua via modoque, quoque successu instituta illa et aucta fuerint, pateat. Huc refert Alexandriae aedificationem, Pharum, nautis perpetuum lumen exhibentem, fossam, Nilum mari rubro iungentem, canales vndique ad Mareotin lacum ducentes, viam Copto ad mare rubrum vsque perductam, naues Ptolemaeorum, cum bellicas, tum alias. His expositis, transit ad ipsa commercia et nauigationes Ptolemaeorum, descriptis primum nauigationibus in mari rubro et oceano. Primum locum obtinet commercium, quod cum India exercuerunt. „Tyro „enim, scribit, quae ex sinu Elanitico „Indiam versus tendere consueuerat, de„structa et Alexandria in eius locum „subuecta, vt Orientem Occidenti per „com-

commercia iungeret, omnia Ptole-„ macos ad Indicas nauigationes inuita-„ re videbantur: quae illorum tempori-„ bus eo faciliora, quo notiora tutiora-„ que itinera ob victorias nauigationes-„ que Alexandri et ob vrbes coloniasque „ ab illo in India conditas. „ Inde Ptolemaeus Philadelphus Indicas nauigationes instituit, multaque ad eas promouendas egit: quae tamen Euergetae Secundi temporibus valde neglectae fuerunt. Quousque sub Ptolemaeis in Indiam nauigatum: quibuscum gentibus commercia instituta; quae merces ex India exportatae fuerint, quaeque Indiae illatae, diligenter Auctor narrat. Progreditur ad commercium et nauigationem Ptolemaeorum Troglodyticum, licet hoc sub Romanis multo magis, quam sub Ptolemaeis, excultum fuerit: huic iungit commercium Aethiopicum, ad quod Ptolemaei sibi viam parauerant, vrbibus iuxta sinum Arabicum in Troglodytarum regione exstructis, pariterque merces commemorat. Tum exponit commercia, quae Aegyptii cum Arabia Deserta, Petraea, et Felice exercuerunt. Parua aut fere nulla cum prima, maiora cum altera,

longe

longe maxime cum vltima instituisse eos, docet. Sequitur caput de commerciis et nauigationibus Ptolemaeorum in mari mediterraneo. Orditur Auctor ab insulis maris mediterranei Aegypto vicinis, Rhodo, Cypro, Creta: alias insulas maris Cretici, Icarii atque Aegaei tangit, nec Corinthios et Athenienses negligit. Denique commercium Puteolanum explicat, littus Africae inde a Lybia vsque ad Mauritaniam perlustrat, quomodo Ptolomaei in commerciis et nauigationibus se gesserint erga Coelesyriam, Palaestinam, Phoeniciam et Syriam, narrat. His addit obseruationes quasdam de reditibus et diuitiis Ptolemaeorum, de vrbium et hominum numero in Aegypto sub istorum imperio: atque copiose merces enumerat, quibus Aegyptus illo tempore abundauit. Prae aliis memorabilia sunt, quae Auctor de nitro, de plantis, de lapidibus pretiosis, de vitro, de papyracea charta attulit. Quanta vero doctrinae copia hic libellus abundet, vel breuis haec argumenti recensio quemque docebit.

p. 383. V. *de Inscriptionibus Narbonensibus*, Titulos XXIII nouos prolatos, aliosque iam

iam a Grutero et Muratorio datos ab Auctore emendatos fuisse obseruauimus.

III.

Histoire de l'Esprit humain ou Memoires secrets & universels de la Republique des lettres par M. *Jean Bapt. de Boyer Marquis d'Argens.*

Berolini ap. Haude et Spener. 1766. Volumina sex. 8.

Si ex ipsius Auctoris sententia de hoc libro iudicium ferri debet, non potest non magna ac praeclara laude illius praestantia ornari, atque lectio vehementer omnibus, qui vbique sunt, commendari. Nam et argumentum sibi tractandum sumsisse videtur Vir Cl. arduum vtilissimumque, et triginta sex annos se in eo explicando collocasse fatetur, adeoque attentum operis lectorem intra sex hebdomadum spatium omne illud addiscere posse addit, in quo cognoscendo ipse totam vitam consumserit. Qui paucis libris instructi sunt, inquit, hoc opere tanquam bibliotheca vtentur,

vtentur, quae omnes res complectitur, quique libris abundant, iis: idem hunc vsum praestabit, vt rerum memoriam iuuet. Quod vero ad consilium Auctoris attinet, quis illud merita laude fraudabit. Perlectis enim examinatisque principum Europae auctorum libris, celeberrimorumque virorum de quaque re sententiis enarratis, se progressus ingenii humani ostendere, illiusque quasi historiam contexere voluisse profitetur. Hoc consilium quomodo executus sit Vir Cl. non melius intelligi poterit, quam si, cuiusque voluminis argumento enarrato, totam, quam secutus est, rationem perspexímus. Quo facto, sententiam nostram de toto opere dicemus eo liberius, quo magis hanc dicendi libertatem se amare ipse *Dargensius* videtur.

pagg. 360. *Primum* volumen continet epistolas tres: nam, quod statim monendum est, epistolis tradidit Auctor omnia; licet, si vulgares formulas exceperis, quae initio et fini epistolarum adduntur, nihil sit, quod epistolarum magis, quam disputationum proprium sit. In *Ep. I.* summam auctoritatem senatui alicui erudito tribuendam esse docet,

cet, qui rempublicam literariam emendet, vitia corrigat, praeiudicatas opiniones tollat, de operibus magnorum virorum iudicium ferat. Licet vero non facilius nobis esse videatur, eiusmodi tribunal instituere, quam rempublicam Platonicam aut ciuitatem Latinam Maupertuisii condere: Auctor tamen, quam necessarium sit et utile tale institutum, quinque argumentis ostendere conatur. Ex diuersis, inquit, hominum doctorum opinionibus atque dissensu apparet, esse in eorum libris multos errores. Exempli causa varia hominum iudicia de Aristotele iocose commemorantur. Nimio ardore eosdem suas opiniones defendere, et reliquos, quos a se dissentire animaduertant, odio prosequi, praeter alia ostendunt Vniuersitatis Parisinae concertationes cum Iesuitis, Voltariique cum Russauio inimicitia. Abundat literarum historia exemplis, quibus celeberrimos quoque viros ineptas et stultas sententias protulisse atque defendisse ostenditur. Irridetur Hippocrates, Malebranchius atque Vaninus, qui sobolis procreandae rationem optimam sibi inuenisse visi sunt, atque vbi Ferrandi Ani-

ciensis

ciensis sententia de multiplicatis sanctorum hominum corporibus narratur, acerbis iocis Iesuitae perstringuntur. Male religionis doctrinam disputationibus suis immiscent viri docti, illiusque specie ad alios opprimendos abutuntur. quo loco lites Courayeri, docti Sarpiani de concilio Tridentino operis editoris, commemorantur. Denique quis nescit calumnias, quibus sese inuicem petunt eruditi homines? aut quis exempla vitii postulet, quod heu! nimis vere illis obiicitur, qui non solum ingenii praestantia, sed morum quoque elegantia animique virtute reliquos mortales superare debent?

His dictis, ad ipsum argumentum transit, atque in *Ep. II.* cum antiquos, tum recentiores Theologos recenset. Nam, boni et laude digni Theologi imagine bene delineata, celeberrimos nec viros hanc speciem referre ita docere studet, vt primum ostendat, summos Theologos impudico et incasto sermone lectorum animos offendisse. Augustinus tanquam Bocacius aliquis Cynicorum libidines descripsit: Hieronymus minus pudica oratione balneorum vsu mulieribus interdixit: omnes supe-

rat

rat verborum obscoenitate Bernardus. Iidem, pergit, Theologi saepe quaestiones inutiles agitant, atque res humano ingenio superiores cognoscere student. Displicet Augustinus, qui, dum voluptatem vitae coelestis describere cupit, *quae cantica*, inquit, *quae organa*, *quae cantilenae*, *quae melodiae ibi sine fine decantantur!* etc. Idem pueriliter quaerit, an mulieri liceat, mariti consensu alium amare? in Confessionibus ridiculae quaestionum vanitati indulget, et de materia prima atque tempore mire nugatur. Porro summi Theologi sententias amplexi sunt falsas. Iustinus de angelorum erga mulieres amore scripsit non pauca inepte: Athenagoras, Origenes, Tertullianus non minores errores commiserunt, ne repetamus ridicula argumenta, quibus virginitatem Mariae Lactantius probare voluit. His pluribusque aliis recensitis, transit Auctor ad Lutherum, cui litterarum florem et libertatem Germaniam debere, sed quem magis audacem et constantem, quam ingeniosum fuisse dicit (*). Eundem valde

(*) *Sa patrie lui fut redevable de retour des Sciences: il vengea le Bon Sens opprimé*

de ob ea vituperat, quae de suis cum diabolo disputationibus passim narrauit, tribuenda illa, ex nostra sententia, ingenio viuido et facile rerum quarumcunque imagines concipienti, maioribusque viri, immortalis meritis condonanda: quanquam nobis stulte agere videntur, qui istorum certaminum vestigia hodie ostentant, qualia mihi quoque ab hominibus, qui sibi valde pii videbantur, monstrata esse recordor. Socinus Nostro non solum in historia peccasse, sed Atheus quoque fuisse videtur. Eo vero loco, quem Auctor protulit, minime hanc accusationem probari existimo. Nam quod dixit: *receptior hodie sententia est, homini naturaliter eiusque animo insitam esse Diuinitatis alicuius opinionem, cuius vi cuncta regantur ac gubernentur, quaeque rerum humanarum inprimis curam gerat, hominibus consu-*

primé depuis plusieurs siecles sous la Tyrannie scholastique & Monacale, & punit la Cour de Rome, d'avoir abusé trop long tems de la docilité Allemande. Il avoit plus de hardiesse & de fermeté, qu'il n'avoit de génie. Luther seroit aujourdhui un homme mediocre, mais c'etoit un très-grand homme pour son siecle. p. 192.

consulat atque prospiciat, quam nos falsam arbitramur: huius orationis, ni fallor, haec sententia est, non habere nos insitam vel potius innatam Dei cognitionem. Quo vero iure, qui ideas innatas in dubium vocant, Athei appellandi sunt? Sed ad seriem disputationis redeamus. Eosdem summos Theologos docet vno eodemque libro contrarias sententias proposuisse. Idem Augustinus, qui alio tempore mitius tractandos esse censet, qui a nobis dissentiant, alio loco summo calore in Donatistas inuehitur. Huic Scheffmacher, Iesuita quidam, additur, cuius nomen, nunquam a nobis antea auditum, frequenter occurrit. Vitiis sermonis, quae multi Theologi commiserunt, narratis, et patrum ecclesiasticorum censura instituta, duriores Lutheri orationes aduersus Pontificem Romanum vituperantur, exagitanturque; sed scurriliter fere, nec eo lepore, qui a viro in aulis versato merito exspectatur. Neque etiam conuicia a Pontificiis in Lutherum fusa silentio praeterit, atque, laudato Beza ob moderationem animi, notat Westphalii Caluinique feruorem. Caluini eruditionem et morum innocen-

tiam laudat, vanum et atrox ingenium reprehendit: (*).

Idem argumentum in *Ep. III.* continuatur. Iniuriarum enim et conuiciorum exempla multa continet. Gregorius Nazianzenus, Cyrillus, Lutherus et praeter alios Iesuitas, iste terrae filius, Scheffmacher, largam materiem scribendi praebent. Bonus etiam Hieronymus facete ob conuiciandi libidinem illuditur (**). In his colligendis mirati sumus paullum patientiam Auctoris. Equidem istos patres conuiciis delectatos fuisse, hodieque delectari multos, cuicunque credere, quam argumenta huius accusationis cognoscere, malim. Quantae vero voluptatis est, excerpere ista conuicia ex tot voluminibus, repetere, atque in aliam linguam transferre!

Quae

(*) *Il a été sans contredit l'homme le plus savant de son siecle. Ses moeurs furent toujours pures: mais il étoit vain, bilieux, vindicatif, cruel, quoiqu'il affecta d'avoir beaucoup de simplicité.* p. 268.

(**) *à juger de la sainteté de St. Iérôme par la modestie de son stile, on pourroit supposer, sans avancer un sentiment bien extraordinaire, qu'il est condamné à rester en purgatoire jusqu'à la fin du monde.* p. 278.

Quae in *altero* Volumine primum locum obtinet, *Epist. IV.* primum opiniones Theologorum de miraculis tradit, atque tum callidas eorundem artes, quibus, quem sibi propositum habeant, finem obtinere studeant, narrat. Hoc Harduini in veteres auctores impetu et conatu, verbosius multo, quam opus esset, commemorato, illustratur, illud multis patrum ecclesiae fabulis. Qui ossa et cineres venerantur, qui cadaueribus tumulisque miram tribuunt vim, inuiti hanc epistolam legent. Sed est illa perfacete scripta, nec iucunda caret oblectatione animi. Quanquam quomodo dubitare potuit Dargensius de veritate aureae fabulae, quam Hieronymus memoriae prodidit? *Mulier quaedam*, inquit bonus homo, *cernens*, *despectui se haberi a viro ob sterilitatem, prima irrumpere ausa est ad Hilarionem, et nil tale suspicanti repente genubus eius advoluta. Interrogauit caussam aduentus eius ac fletuum, et postquam didicit, leuatis oculis recedere iussit, euntemque lacrimis prosecutus, exacto anno vidit cum filio.* Quidni enim Hilarioni eandem vim tribuamus, quam hodie tot steriles mulieres bene- pagg. 360.

 ficio

ficio monachorum experiuntur, quibus vt cetera abstulerit D. Franciscus, certe ipsis illam de se praedicandi facultatem: *gaudeant bene nati!* reliquit. Quis etiam Hilarionem tam durum fuisse credat, qui lacrimis pulcellae mulieris resisteret! — Vltima epistolae pars ad vaticinia pertinet, quibus multos non recte vti docet. Nos haec praeteribimus, atque cum Auctore Philosophorum familias perlustrabimus.

Philosophorum recensus in *Ep. V.* agitur. Eorum priusquam opiniones examinare incipit, monet, non bene sibi consulere, qui de Philosophis antiquis ex sententia multorum scriptorum veterum atque inprimis Patrum iudicet: his addit etiam recentiorum exempla, iisque ostendit, etiam hos de antiquorum Philosophorum laudibus inter se dissentire. In examinandis vero illorum operibus primum, quam doctrinam morum tradiderint, spectat: tum sententias de Deo recenset, mox transit ad opiniones de natura animi, denique, quid de physicis statuerint, explicat. Non solum vitam Philosophorum exposuit, sed sententias quoque, suumque de iis iudicium addidit. Initium

tium facit a Pherecyde, Thalete et Pythagora, quem maximum omnium, quos antiqua aetas protulit, impostorem appellat. Sequuntur Heraclitus, Democritus, Socrates. Hunc tanquam primum in orbe omnium Iesuitarum considerandum esse dicit. fecisse enim eum, Marti et Ioui sacrificantem, idem, quod hodie in regno Sinensi Iesuitae faciant. Porro prodeunt Plato, Xenocrates, Aristoteles, Diogenes, Epicurus, Zeno, Chrysippus, Metrocles, Crates, Cicero. Horum sententiis examinatis, eos non meliorem Dei cognitionem habuisse iudicat Spinosa et Vaninio: Stoicos aliosque tantum verbis ab his discrepare: neque tamen etiam primos Patrum ecclesiae recte de Deo sensisse. Diximus iam supra, scurrile iocorum genus Auctorem amare. Ne hoc temere illi obiecisse videar, exemplum adscribam infra, quo certe hoc patebit, non solis Theologis placuisse minus verecundum dicendi genus (*).

(*) Postequam narrauit ea, quae Laertius de Metrocle et Crate scripsit, (L. VI. sect. 94.) addit: *Ie ne sai, Monsieur, comment vous les trouverez? quant*

In *Dargensio* autem eiusmodi facetiarum, si Dis placet, amor eo foedius displicet, quo maiori iure elegantiam et venustatem ab illo postulare possumus. Quid enim opus erat, ingenii humani historiam scribentem ea, quae Diogenes Laertius sat inepte commemorauit, repetere atque ornare?

Non melius iudicat Cl. Auctor de sententiis veterum de natura, sede, et immortalitate animi, quas in *Epist. VI.* recenset. Solus Socrates reliquis omnibus de Deo et animo sapientius locutus est, licet nec ipse veram illius naturam perspexerit. De Metempsychosi verbose disputat, veterumque argumenta

quant à moi, elles me paroissent aussi comiques que ridicules. Un homme embrasse les sentimens d'une Secte, parce qu'un de ses amis, qui en est, fait deux ou trois cens pets, pour le consoler d'un avoir fait un: qu'il seroit heureux pour tous ceux, qui vivent aujourdhui, qu'on put réunir les Théologiens & les attirer à une communion, comme on attiroit les anciens Philosophes à une Secte! si cela étoit, je conseillerois aux Catholiques & aux Protestants de ne nourrir pendant six mois qu'avec de l'anis les Ministres, les Iesuites, les Peres de l'Oratoire, les Bénédictins &c.

menta de immortalitate animi examinat. Solius rationis ope immortalitatem cognosci probarique posse, negat; recte, vt equidem existimo (*) immo longius progreditur, atque etiam, diuersam bestiarum naturam ab humana esse, solius diuini codicis testimonio constare addit (**).

Quid veteres Philosophi de Physicis existimauerint; in *Ep. VII.* docetur, quae in *Volum. III.* collocata apparet. Sententia Auctoris haec est; recentiores Philosophos pauca nosse, quae non antiquis fuerint cognita: sed hos illorum inuentis bene vsos esse, nouaque quaedam, eaque vtilissima addidisse. In iis, quae solis ratiociniis atque meditationis solius ope cognoscantur, non lon- pagg. 467.

T 5 gius

(*) *Nous n'avons donc aucune preuve philosophique évidente, que l'ame ne soit pas matérielle: son immortalité est dans le même cas. — Avouons le de bonne foi, si la Révélation ne nous avoit point éclairés, il seroit impossible, d'éclaircir des questions aussi douteuses.* T. III. p. 249.

(**) *Il faut donc convenir, qu'il n'y a que par la Révélation, qu'on peut prouver, que l'ame des bêtes est d'une nature differente de celle des hommes* p. 365.

gius nostros Philosophos progressos fuisse, antiquis: sed in iis, quae experimentis instituendis deprehendantur, longe veteres a nostris superari. Hinc idem Vir Cl. facere adgreditur, quod Gesnerum meditatum fuisse recordamur. Scripsit enim ille aliquo loco (*): *Sed de hac re forte aliquando agere licebit, si possim facere, quod aliquoties, cum cogitassem, alia intercesserunt, vt, quae noua vulgo feruntur Philosophorum vel inuenta vel dogmata, ea non esse noua ostenderem, et quod conantur alii antiquis nouitatem dare, ego contra antiquitati vindicarem noua.* Huius consilii aliquam partem *Dargensius* exsecutus est. Empedocles illi opiniones a Cartesio prolatas iam tradidisse, Plato Antipodes obseruasse, Aristoteles causam soni, Echus et tonitrus intellexisse videtur. Leucippum, ait, et Epicurum iam docuisse, quae postea Gassendus: Democritum, alios esse orbes in aliis terrarum partibus, vidisse: Senecam sanguinis per venas cursus obseruasse, atque Plinium fluxus et refluxus maris causas eodem prope modo explicuisse, quo nostri illas explicant. Non poeni-

(*) *in Prolegom. in Claudianum* p. 6.

poenitebit hanc epistolam legisse, atque etiam, quod monendum est, examinasse. nam interdum elicere nobis videtur plus Auctor ex scriptis veterum, quam illis vere inest. Luculenter hoc ii intelligent, qui vel vnum caput de Pherecydis doctrina, procul omni dubio nimis aucta verbis, legerint. p. 6.

In *Ep. VIII.* ad recentiores transit Philosophos, examinatis antea Plutarchi, Diogenis Laertii, et Iuliani Caesaris libris et opinionibus. Quid de Iuliano *Dargensius* sentiat, iam alio tempore diximus. Nihil in illo vituperat praeter credulitatem, quam prodigiis adiecit, et diuinationis studium, Cyrilli calumniis recte refutatis. Auerroen, Auicennam, Albertum sequitur Thomas. Quae hic de doctrina morum scripsit, valde Nostro placent, atque imprimis laudat, merito, si quid video, et recte dignam illam homine modesto et homines amante sententiam de salute aeterna illorum, qui, licet non Christiani, bene tamen et ex legibus naturae vixerint (*). Hunc excipiunt Cardanus,

(*) *On est charmé, de voir le Theologien, éclairé par le flambeau de la Raison & pan*

danus, cuius somnia quid repetere opus fuit? Baco, la Mothe le Vayer, cuius Logica irridetur, argumentaque pro animi immortalitate examinantur, et Claudius Berigardus. Hunc irreligiosum, impiumque appellat, et Circulum Pisanum Spinosae libris non meliorem esse addit.

In *Ep. IX.* copiose Auctor de Gassendo, Cartesio, Mallebranchio, Spinosa, et Hobbesio agit. Iure in Cartesio disputandi ardor et rusticitas, cum Gassendi modestia comparata, notatur.

pagg. 411. *Quartum* Volumen tres epistolas continet. Primus, de cuius vita et scriptis Auctor exponit, est Lockius, qui illi occasionem de ideis innatis aliisque disputandi praebet. Quae quidem omnia non illubenter legimus, sed contremuimus fere, vbi ad sententiam delati sumus, quam de Treuoltiensium

acto-

par le secours de la Philosophie, raisonner d'une maniere conforme aux notions de tout le Genre humain, & j'ose dire; aux notions évidentes: à quoi pensoit le grand St. Augustin, et à quoi pensent aujourd'hui les Jansenistes.

actorum scriptoribus pronunciat (*): Quid enim misero mihi fiet, mecum cogitabam, si displiceant mea Acta *Dargensio?* — Sed pergamus. Leibnitius meritis laudibus celebratur, nimis sibi interdum indulgens et vanus. De Petro Baylio, quem contra varias criminationes defendit, praeclare Noster sentit. Immo, vt illum Christiano animo obiisse nobis persuadeat, historiam narrat, quam, non inuitis, credo, iis, qui diuini ingenii virum amant, repetemus. Tersonius quidam, Baylii amicus, eum visurus paucis ante mortem horis, non admittitur. nam nemini se sui copiam facturum esse, suis praedixerat Baylius. Vbi vero amicum illum suum adfuisse audiuit, paullo ante obitum epistolam scripsit, quam infra dedimus (**). Equidem hac moribundi

(*) *Entre Dominico Pinei, fameux chez des Bandits Napolitains & un Journaliste de Trevoux ou un Auteur tel que celui des Anecdotes Historiques et Litteraires tout me paroit égal: je crois même, que, puisque le crime est pareil, la punition devroit être semblable.* p. 32.

(**) *Mon cher ami, ce n'etoit pas pour vous, que j'avois donné les ordres, qui m'ont*

bundi senis quasi cygnea voce audita, non nego, magis me etiam, quam antea, amare virum, quem inter summos viros iure Europa numerat. — Non licet repetere, quae de aliis, qui sequuntur, Philosophis ab Auctore dicuntur. Sunt ii; Neutonus, Voltarius, Keilius, Maupertuisius, Grauesandius, atque Regnault. De Fontenellio quoque non pauca in hoc volumine leguntur. Maupertuisii lites cum Voltario ita narrantur, vt ille sat malitiose egisse, ipsorumque Iudaeorum artibus contra hunc vsus fuisse videatur. Reliqua pertinent ad sententias de atomis, de vacuo, de vi attrahente.

Pauca nobis dicenda sunt de Volumine
pagg. *quinto*, quod recensionem historicorum
244. Graecorum continet. Idem argumen-
pagg. tum in epistolis, quas volumen *sextum*
256. exhibet, tractatur. Enarrat Auctor vitas historicorum, librorum argumenta commemorat, iudicium de iis addit,

nec

m'ont privé du plaisir de vous voir encore une fois. Je sens, que je n'ai plus que quelques momens à vivre; je meurs en Philosophe Chrétien, persuadé, pénetré des bontés & de la misericorde de Dieu & vous souhaite un bonheur parfait. Je suis &c. p. 131.

nec raro specimina orationis adfert. Ideo vero breuiores in his epistolis recensendis fuimus, quia non multa in iis inuenimus, quae magni momenti sint. Quid enim prodest, lectorem monere, Moreri lexicon emendatum esse, aut Mothii Daceriique iudicia repetita? aut V. p. 60. quis a nobis sibi illa narrari cupiat, quae de vtilitate historiae praeter necessitatem disputantur? Aliquot tamen obseruationes inter reliquas eminent. Scele- VI. p. 66. stum Constantini M. animum, quem cum Chlodouaeo inter pessimos principes refert, bene pingit, illumque, nec deorum cultui addictum, nec Christiana sacra amplexum, magna laude dignum esse, vere negat. Procopium auctorem censet p. 137. Historiae Arcanae, sed fabulas eundem nulla fide dignas proferre addit. Hinc Iustiniani, licet eum non omnino vitiis caruisse profiteatur, atque Theodorae defensionem suscipit. Meliora quoque reliquis sunt, quae de Iosepho dixit. Notissimum illum locum de Christo ab aliena manu additum esse putat.

Enarrato totius operis, cuius plura volumina exspectamus suo a nobis tempore indicanda, argumento, iudicium

de

de eo dicamus. Placuit in *Durgensi* summum veritatis studium, quod etiam aliis in libris nobis probauit: placuit ea libertas, qua sententiam suam de multis rebus dixit. Neque meminimus, nos in hoc libro offendere quidquam, quod alienum a nostris sacris animum declararet, aut quod liberiorem, quam Christianum decet, cogitandi dicendique amorem indicaret. Neque laudem multi laboris, cum colligendis quam plurimis, tum exponendis iisdem demonstrati, Auctori denegamus. Praeterea acute Philosophorum opiniones examinauit, atque iustus, aequus et sapiens inter eorum familias arbiter sedit. Certe, quae de recentiorum temporum Philosophis dixit, omni laude atque attentione digna sunt. Commemorauimus bona libri? eadem libertate, quae displiceant, exponemus. Primum, quam pollicitus est se compositurum esse, historiam ingenii humani, frustra quaesiuimus. Huc non solum pertinuit recensio auctorum et opinionum examen; id quod bene Auctorem praestitisse diximus. Sed docere debebat idem, quibus ab initiis, qua via, quibus impedimentis victis, quibus auxiliis susten-

tatum

totum ingenium humanum eo progressum sit, quo illud progressum esse animaduertimus. Hinc summam omnium cogitationum facere, et in vna quasi tabula hanc historiam proponere debebat. Quod ab illo non factum fuisse, ipsa, quam dedimus, libri recensio quemuis docebit. Inprimis ea, quae initio libri occurrunt, quaeque de Theologis dicuntur, quomodo consilio Auctoris respondeant, minime intelligo. Porro fatigauit animum nostrum nimis vulgarium et cuique notorum rerum repetitio. Quid opus fuit, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Ignatii Loiolae, aliorum vitas describere? Haec qui non ante scierit omnia, quique ea demum ex hoc libro discere voluerit, nae ille parum vtilitatis ex huius libri lectione capiet, qui profecto non pueris scriptus est. Idem dicendum est de iis epistolis, quae historicorum veterum vitas et scripta complectuntur. Quid enim de illis dicitur, quod non in centum aliis libris legatur? Praeterea illud taedium repetitione notissimarum rerum excitatum auxit idem semper et vniforme iocandi genus, quo Auctor delectatur. Piget enim in

omnibus epistolis facetias illas legere, quibus Iesuitae atque Iansenistae pungūntur. Semel lecti hi ioci placent, sed toties recocti pauperiem quandam ingenii arguunt, quae lectoribus molesta est. Facile etiam foret exemplis ostendere, multa in hoc opere legi, quae in aliis iam Auctor dixit, eumque, siue data opera hoc fecerit, siue memoria deceptus sit, se ipsum exscripsisse. Sed mittimus haec. Saepiuscule etiam lapsum fuisse Auctorem deprehendimus, cum in interpretatione Graecorum locorum, tum in historia. Sed ea excutere, nec otii nostri est, nec huius temporis. Infra scripsimus (*) quaedam, quae ad recentem rerum memoriam pertinent. Plura et maiora aliis quaerenda relinquimus.

(*) Vol. IV. p. 76. Mr. Wolf, ci devant Professeur à Halle, & *présentement* à Marbourg. Ibid. p. 90. Voyez la belle dissertation (de Hippocrate) de Messieurs *les Freres*, Gesner.

IV.

IV.

Laocoon oder über die Grenzen der Mahlerey und Poësie. Mit beyläufigen Erläuterungen verschiedener Puncte der alten Kunstgeschichte: von *Gotthold Ephraim Lessing*. *Erster Theil.*

Berlin, bey C. F. Voss. 1766. 8.

Qua olim voce Plato Xenocratem, seuerum semper ac tristem ad Gratiarum amorem cultumque excitauit, virtutisque, quae nullis naturae blandimentis sopita conniueret, studiosum (*): eadem omnes, qui ad hunc librum legendum accedant, compellandos esse existimamus. Nonne enim Gratiis litet, qui elegantissimi ingenii virum, verumque Gratiarum alumnum de venustate disputantem audire velit, praesertim cum ipsis illis praeceptis nihil venustius cogitari queat? Neque alium librum ab illo exspectare potuimus, cui dudum principem inter Germaniae ornamenta locum Musae tribuerunt. Equidem

(*) θῦε ταῖς χάρισι. vid. Diog. Laert. L. IV. p. 256.

lubentissime fateor, me non sine voluptate in aureoli libelli lectione acquievisse, atque in viri ingeniosissimi sermone et suauitate omne, quod malis libris legendis contraxeram, fastidium deposuisse. Hinc etiam paullo attentius omnia consideranti atque expendenti varia venerunt in mentem, quae si adsperserim nostrae orationi, amabilem viri optimi humanitatem non aegre hoc laturam esse, mihi persuasi. Quod vero ad ipsum libri argumentum attinet, est illud profecto multiplex. Nam a viro, qui, cognitis optimis fere omnium populorum libris, artium natura perspecta, coniunctaque antiquarum litterarum scientia cum recentiorum auctorum lectione, se ad scribendum confert, non potest non variarum rerum copia abundantissimus liber componi. Sed vt eo luculentius haec varietas appareat, ad certa capita redigemus, quae in hoc libro traduntur, licet ipse Auctor, cuius ingenii vigor scholasticam illam subtilitatem, quae nunquam tramite angusto decedere, nec ad amoeniora loca diuertere audet, odisse videtur, alium rerum exponendarum ordinem obseruauerit.

Ad

Ad primum igitur caput referimus, quae de ſapientia conſilioque artificum, quibus pulcherrima Laocoontis ſtatua debetur, Vir Cl. diſputat. Nam praeter alia, quae Cl. Winkelmannus ad laudem ſtatuae huius dixit (*), placere ſibi faſſus eſt inprimis magnitudinem animi ſummo cum dolore coniunctam, quam Laocoon prae ſe ferat. Neque enim eum furere, nec clamorem tollere, vt Laocoontem Virgilianum, ſed eodem animo cruciatus perferre, quo Philoctetem Sophoclis. Vera haec eſſe dicit Cl. Leſſingius, ſed cauſas, cur ita Laocoon effictus fuerit, ab artificibus, perperam reddi addit. Primum, dicit, Sophoclis Philoctetes non magis caſtra et inſulam eiulatu et clamoribus impleuit, quam theatrum. Lacrimantem Philoctetem etiam pinxit Parrhaſius, vt vetus poeta dicit (**):

Ἔν τε γὰρ ὀφθαλμοῖς ἐσκληκόσι κωφὸν ὑποικεῖ
Δάκρυ —

(*) *von der Nachahmung der Griechiſchen Werke in der Mahlerey und Bildbauerkunſt.* p. 21.
(**) in *Anthol.* Gr. L. IV. p. 452.

et alius, ni fallor, Iulianus:

Δάκρυα δὲ ξηροῖσιν ὑπὸ βλεφάροισι παγέντα
Ἵσταται, ἀγρύπνου σῆμα δυηπαθίης.]

Deinde clamor et eiulatus ex Graecorum opinione nihil detraxit magnitudini animi. Non puduit Graecos imbecillitati humanae naturae cedere, modo ne illa in via ad honorem retardarentur, aut ab officiis implendis retinerentur. Homeri heroes clamantes cadunt: Venus vulnerata clamat: immo nec ipse Mars clamorem continet. Sunt quidem illi heroes Homeri natura mortali maiores, sed nunquam tamen eam naturam, quod ad sensum doloris iniuriarumque attinet, exuunt. [Apta, quibus haec illustrari possunt, exempla dare memini Racinium (*)] Quod si igitur viro forti licuit clamare et eiulare, alia causa sit, necesse est, cur artifex clamorem non expresserit in statua. Hanc arcessit Vir Cl. ab artium natura, quarum summa lex fuit apud Graecos venustas. Graeci pulchra tantummodo corpora imitatione digna iudicauerunt, nil, nisi pulchrum, amaverunt,

(*) v. *Reflexions sur la poesie* c. 5. p. 159. *dans ses oeuvres.*

verunt; omnemque turpitudinis speciem vitauerint studiose. Hinc artifices ab iis affectibus eaque affectuum vi abhorruerunt, quae foedam visu, horridamque faciem reddit, totumque corpus vehementius concitum exhibet. Aut enim plane iis affectibus abstinuerunt, aut mitigauerunt eos ita, vt locus aliquis relinqueretur venustati. Furor et desperatio in eorum operibus frustra quaeritur: iram mutauerunt in seueritatem, eiulatum in dolorem: nunquam Furia in antiquis monimentis apparet. [Modum excessisse videtur Vir Cl. in studio venustatis, quo antiquos artifices ductos fuisse multis documentis constat, describendo. Quid? si certis argumentis ostendi potest, nec atrocissimos affectus euitasse veteres, oraque efformasse, quibus omnis venustas ademta est. Quomodo pinxit Timomachus Aiacem? furentem hercle! et rabie oris terribilem, si fides habenda est antiquo poetae (*):

— ὁ γράψας ὧδέ σε μαινόμενον,
Καὶ συνελυσσήθη χεὶρ ἀνέρι.

(*) in *Anthol. Gr.* L. IV. p. 442.

Pauorem conspicimus in nummo Hostiliae gentis (*), facie macilenta, capillis erectis, ore aperto, vultu turbato, omnibus lineamentis ad pauorem compositis, barba horrida. Si vere dixit Augustinus (**): *Hostilium pauorem ac pallorem teterrimos hominum affectus, quorum alter mentis territae motus est, alter corporis nec morbus quidem, sed color*, nonne teterrimam imaginem effictam videmus? Porro quam terribilis est Ixion in arca sepulchrali (***)! quam deformis Marsyas, cui ab Apolline cutis detracta est, aliquoties ab artificibus antiquis effictus, quantumque horrorem mouet! nonne Prometheus ad rupem alligatus incredibiles toto vultu cruciatus ostendit (†)? Sed quid multa? consideremus quasdam figuras, arcae Cypseli in templo Olympico insculptas et a Pausania verbose descriptas (††). Inter eas apparet γυνὴ ὀδόν-

τας

(*) v. Vaillantii *Numism. Fam. Rom.* l. 70. et *Thes. Brandenb.* T. II. p. 557.

(**) de *Ciuit. Dei*, L. VI. c. 10.

(***) vid. *Veterum Sepulchra coll: et delineata a Petro Sanct. Bartolio* fig. 56.

(†) v. Montfauc. *Antiqu. Expl.* T. I. tab. 131.

(††) in *Lib. IV*, c. 17. p. 419. sequ.

σας τὰ ἔχουσα οὐδὲν ἡμερωτέρους θηρίου, καὶ οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσιν ἐπικαμπεῖς ὄνυχες. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ᾽ αὐτῇ εἶναι Κῆρα. quod verbum recte explicat Kuhnius *mortem fatalem*, eoque loco refutari posse videtur Auctoris opinio de minus terribili forma morti ab antiquis tributa, cui sententiae etiam alia monumenta aduersari videntur (*). p. 121.
In eadem arca conspecta fuit Discordia. quali vero facie? ἔρις αἴσχίστη τὸ εἶδος ἐοικυῖα. Quod vero ad Furias attinet, miror, Virum Cl. non recordatum esse locum Pausaniae (**), qui illius sententiae maxime fauet. Nam posteaquam de statuis, quibus effictae erant Erinnyes, locutus fuit, addit: τοῖς δὲ ἀγάλμασιν οὔτε τούτοις ἔπεστιν οὐδὲν φοβερὸν, οὔτε ὅσα ἄλλα ἀνάκειται θεῶν τῶν ὑπογαίων. Sed vel sic ab Auctore dissentire audeo. Memini enim, Furinam, Furiarum principem, in patera Etrusca apparere (***). Hu-

U 5 ius

(*) vid. Bonarotam ad *Monum. Etrusca* *ap. Dempster. de Etrur. reg.* addita §. 18. p. 24. 40.

(**) in *Lib. I.* c. 28. p. 68.

(***) v. *Museum Etruscum.* T. I. t. 22. et Gorium T. II. p. 39.

ius, formam Gorius descripsit. *Expressa est*, inquit, *pectore tenus, nuda, nudo collo, nudisque brachiis — quo vero facilius terrorem maximum et motum scelestis hominibus incuteret, rigentibus capillis, — grandibus oculis*, ore foedo, vultu horrifico ac terribili *effecta est. Illud etiam notandum, alas, quas in capite et in humeris gerit, non plumeas et pennatas esse, sed quales vespertilionum alae apparent.* Immo eodem loco idem narrat, se non solum Furiam, facem vtraque manu tenentem et quasi iactantem, in marmoreo sepulchro obseruasse, sed Furorem quoque, barbatum, toruo minacique oculorum obtutu formidolosum, et gladium intentantem. In aliis quoque monimentis Etruscorum Furiae apparent (*), securibus, gladiis, malleis, hastis instructae, atque prae aliis memoranda est illa, quae ferro oblongo, vncinis pluribus conspicuo, armata, ad animam hominis cruciandam parata videtur (**). His, quae narrauimus, exemplis forte eorum

(*) confer eund. p. 190. et Passerium in P. III. T. II. p 92.

(**) v. Demsteri *Etrur. Regal.* t. 25. 84. 88.

eorum sententiae firmantur, qui in nummis et gemmis ab Auctore commemoratis Furias inuenisse sibi visi sunt. Sed in viam redeamus.] Illo venustatis studio, cui Graecos artifices deditos fuisse diximus, factum esse arbitratur Vir Cl. vt Timanthes Agamemnonis vultum velo tegeret. Non, inquit, ille spem abiecit, summam tristitiae vim penecillo exprimendi: sed nolebat vires intendere, quia talem picturam venustati aduersari iudicabat. [Videant alii, an recte existimet Vir Cl. summam affectus vim facile ab artifice exprimi posse, quia affectus vehementiores luculentis se signis ostendant. Videant, an obseruatio Auctoris Timanthis tabulae conueniat, qui in reliquis viris pingendis *tristitiae omnem imaginem consumsisse* ab idoneo auctore dicitur.] Similiter igitur, in Laocoontis statua fingenda artifices venustatem spectauerunt: minuerunt doloris atrocitatem, clamore mutato in gemitus. Non, si artifices illum expressissent, prodidisset hic clamor ignobilem animum. sed deformasset faciem.

Exposito igitur consilio, quod artifices secutos esse putat, ad Virgilium p. 29.
transit

transit Vir Cl. eumque bene clamorem Laocoonti tribuisse docet. Primum, inquit, corporis forma minimi momenti poetae videtur, nec eius descriptione lectores monere conatur poeta; immo illam saepe negligit, Nam, si semel lector fauere incepit heroi, aut non cogitat de corporis forma, aut ob virtutes reliquas, nisi pulchram, certe non turpem ei tribuit. [At si Virgilius Euryalum ita describit, vt dicat (*):

— quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum, Troiana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa iuuenta:

nonne nos hic pulcher et florens aetate iuuenis in sui amorem allicit, sollicitudinemque animo iniicit? Lectis deinde versibus de vulnerato Euryalo:

Voluitur Euryalus letho, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros ceruix collapsa recumbit.
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens &c

commiseremur illius interitum, et funeri iuuenis illacrimamus fere. Sed aut valde

(*) *Aeneid.* IX, 179 - 434.

de erro, aut non parum ad dolorem commindnendum confert adſpectus iuuenilis et pulchri corporis, tot vulneribus confoſſi.] Porro licet poetae rem ab initio vsque ad finem perſequi, nec ille vnius momenti actionem referre cogitur, vt ſtatuarius. Hinc animum lectoris praeparat, atque, vt res aliqua minus diſpliceat, efficit. Reliquae Laocoontis virtutes nos iam ceperunt: amamus patriae amantiſſimum virum et ſollicitum patrem: nullo igitur modo nos ille clamor, ſi vel indignus ſit viro, offendit.

[Hoc loco meam de defenſione hac Virgilii ſententiam addam, quae iam ſupra nobis in mentem venit. Quae Auctor de Graecis dixit, omnia vera ſunt. Sed non ſatis recordatus eſſe videtur, Virgilium non Graecis, ſed Romanis Aeneida legendam tradidiſſe, ideoque non peregrinorum populorum ſententias, ſed patriae ſuae mores ſpectare atque iis tribuere debuiſſe, quorum dolore cuperet Romanorum pectora moueri. Eſtne vero credibile, clamantem Laocoontem placere potuiſſe Romanis, qui nihil turpius iudicabant, quam plorare, clamare, et eiulare, quibusque

busque minus tenerum pectus natura tribuisse videbatur, quam Graecis? Vnice his placebat Regulus, qui

Fertur pudicae coniugis osculum
Paruosque natos, vt capitis minor,
Abs se remouisse et virilem
Toruus humi posuisse vultum.

Lacrimantem Regulum quomodo credamus magis illis displicuisse clamante Laocoonte? Horatius sororem, vnius ex Curiatiis, cui desponsa erat, necem deplorantem, gladio transfixit. Virginius occidit filiam, cuius pudicitiae Appius insidias struxerat. Quid referam Manlium Torquatum, Papirium Cursorem, quid Mucium Scaeuolam, alios commemorem, qui fere ab humanitate desciuisse videntur? Atque ne quis hunc veterum Romanorum sensum tantummodo primis reip. temporibus viguisse dicat, ablegabo lectores ad secundum Tusculanarum Quaestionum librum. Ex hoc enim optime intelligetur, quae fuerit Romanorum sententia de contemnendis doloris stimulis. Ecquod etiam fuit tempus, quo non oculos pascerent Romani vulneribus et nece gladiatorum, qui quo fortius iugulum aduer-

aduerſario praeſtiterunt, eo iucundiorem ſpectatoribus voluptatem attulerunt? Quae cum ita eſſent, cum Romani effoeminati, mollis, fracti, abiectique hominis ſigna iudicarent querelas, lamentationes et clamores: non puto Virgilium Laocoonti magnum et erectum animum tribuiſſe, cuius laudem ſi apud Romanos huic ſacerdoti conciliare vellet poeta, ne ingemiſcere quidem ſacerdoti licebat.]

Praeterea huic capiti ineſt duplex diſputatio. Primum Virgiliana cauſa p. 31. perorata, quid tragoediarum ſcriptori liceat, quaerit, cum aliter nos afficiat narratio de clamore, aliter ipſe clamor. Hoc loco acutiſſime agit de arte Sophoclis, qua Philoctetem et Herculem in ſcenam produxit. Deinde cur artifices p. 23. modum tenere debeant in affectibus exprimendis, nec iis liceat eum temporis articulum eligere, quo ad vehementiam ſummam aliquis affectus progreſſus ſit, docet. Cauſa eſt duplex. Artifex vnicum tantum temporis momentum in opere ſuo exprimere poteſt. Haec opera non aſpici, ſed conſiderari atque etiam meditationibus locum dare debent. Si ſummi affectus vim expreſſam

pressam videamus, mens impeditur, quo minus ipsa quidquam agat aut longius etiam progrediatur. Si Laocoon gemit, mens nostra facile clamantem audit: si clamat, fraenum illi iniicitur, minusque nos commouemur. Porro si illud temporis momentum quasi durationem accipit, nil exprimat, necesse est, quod tantum tanquam transiens a nobis cogitari concipique potest. Omnia, quae cito erumpunt, iterumque euanescunt, suamque naturam vnum tantum momentum retinent, si arte durationem accipiant, speciem accipiunt, quae a rerum natura abhorrere videtur, cuiusque repetita consideratio vim perdit, et tandem fastidium parit. Clamoris, vt huc disputatio nunc redeat, genitor, dolor, aut mox remittit, aut interimit hominem.

Alteri capiti subiiciemus ea, quae cum de aetate, qua Laocoontis statua facta sit, tum de aliis, quae huic argumento affinia videntur, Vir Cl. scripsit. Sunt, qui Laocoontis statuam a Graecis artificibus confectam esse putent, sed Imperatorum Romanorum tempore. Haec illorum opinio inde orta est, quia artifices Virgilianum

p. 50.

Laocoon-

Laocoonta ante oculos habuisse arbitrantur. Sed, inquit Auctor, nonne cum statuarius, tum poeta ex vno eodemque fonte haurire potuerunt? Notum vero est Pisandri nomen. Hic est ille Pisander, a quo Macrobius dicit Virgilium euersionem Troiae cum Sinone suo et equo ligneo ceterisque omnibus, quae librum secundum faciunt, paene ad verbum descripsisse. Non igitur, artifices Graeci Latinum poetam vt consulerent, fuit necesse, atque ideo nihil potest hinc elici, quod coniecturam de aetate illorum confirmet. Sed alio tamen modo argumentum hinc duci potest, pro illorum opinione. Pisandri carmina perierunt, nec, quomodo Laocoontis fatum narrauerit, scimus. Probabile tamen est, ita hanc rem narrasse, vt alios Graecos eam commemorasse legimus. Hi vero, vt e Quinti Calabri carmine luculenter apparet, minime de illa cum Virgilio conueniunt, sed longe aliter rem accidisse scripserunt. Si igitur artifices in statua effingenda eandem, quam Virgilius, sententiam secuti sunt, non possunt non post eum vixisse: si narratio de Laocoontis fato ab illo mutata et inuenta fuit, artifices

 illius

illius versus cognouisse, probabile fit. [Sed quid si aliter argumentemur? Duo vero argumenta in contrarium partem hic latere videntur. Primum, si verum est, Virgilium *ad verbum paene descripsisse* Pisandrum, quomodo illum in hac re ab illo recessisse dicamus? Immo ideo, quia Virgilius calamitatem Laocoontis ita narrat, credamus, non aliter eam Pisandrum narrasse. Quinti Calabri auctoritati parum tribuo: nam ille, in pluribus aliis fabulis narrandis ab omnibus reliquis Graecis discrepat. Sed dabimus, ita Pisandrum rem narrasse, vt eam narrauit Quintus. Quem probabilius est ab illo recedere debuisse? poetaene, an artifici maior causa fuit, mutandi receptam narrationem? Virgilius cur illam opinionem adoptare noluerit, caussam video nullam. Terra mota fuit sub pedibus Laocoontis: ipse terrore corripi, mox in oculis cruciatus sentire, tum in furorem coniici, occoecari, serpentibus liberos laniantibus. Haec omnia versibus exprimere poterat poeta. Fauebatne vero etiam hoc argumentum statuario? minime. Artis igitur natura eum coegit, vt aut ipse

inueni-

inveniret, aut, si, id quod etiam alias accidit, duplici modo illa historia memoriae prodita fuit, ea eligeret, quae *tractata nitescere* posse iudicabat. Probabile igitur est, poetam, cui nulla fuit ratio mutandi vulgarem narrationem, quique tamen alio modo, quam reliqui, eam narrat, secutum fuisse illos, quibus argumenti mutatio necessario incubuit.] Porro e Plinii verbis p. 261.
(L. XXXVI. f. 4.) apparere putat, Lao- sequ.
coontis statuam magis ad recentiora, quam ad antiqua tempora pertinere. Nam postquam illum recensuit, addit: *Similiter Palatinas domos Caesarum repleuere probatissimis signis Craterus cum Pythodoro, Polydectes cum Hermolao etc.* Quos artifices cum Imperatorum tempore vixisse constet, nonne, inquit, verbum *similiter* ostendit, eodem tempore Laocoontis auctores floruisse? [Sed hoc loco, id quod nec Virum Cl. latuisse videtur, vnice loquitur Plinius de rei similitudine. Vbi plures artifices vni operi manus admouerint, claritati quorundam hoc nocuisse dicit. Hoc exemplo Laocoontis docet. Mox addit: *similiter*: i. e. eodem modo. nil potest clarius esse.

Verum est, si Laocoontis statua antiquitus facta sit, sat celeriter a priscis ad recentiora tempora Plinium transire. Sed in toto indice operum ordinem temporis idem neglexit. Quid si etiam eum e prisca, tum e recentiori memoria exempla proferre voluit?] Tum, si hoc opus eo, quo Winkelmannus putat, tempore, seu Alexandri M. aetate, in Graecia factum fuisset, cui non mirabile videatur, inquit, silentium Graecorum de opere omnibus et picturae et
p. 274. statuariae artis proponendo? [Fateor, mihi ipsi hoc silentium saepe mirum visum fuisse. Sed e silentio auctorum, quod plurimae causae efficere potuerunt, vix audeo argumenta repetere, quibus multum tribui velim.] Porro, Laocoontis statuam recentioris aetatis opus esse, alio monimento ostendere conatur, ab ipso Winkelmanno commemorato. Marmoreae statuae basis inuenta fuit, cui additus titulus: ΑΘΑΝΟΔΩΡΟΣ ΑΓΗΣΑΝΔΡΟΥ ΡΟΔΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ. Winkelmannus hunc Athenodorum eundem censet, qui inter Laocoontis auctores a Plinio memoratur, atque Plinium, tria tantum opera verbo ἐποίησε notata exstare scribentem, hoc

moni-

monimento refutari dicit. Non opus est, respondet Vir Cl. vt Plinius hoc titulo refutetur: nam plura alia opera idem verbum praeferunt. Sed plus e Plinii verbis elicitur, quam iis inest. Loquitur tantum (L. I. p. 5.) *de pingendi fingendique conditoribus*, i. e. de artificibus antiquissimis, Apelle, Polycleto, aliis: non addit, eandem modestiam posteriori quoque aetate artificibus placuisse, sed hos potius maiore artis securitate delectatos fuisse, tacite indicat. Vera igitur narrauit Plinius de antiquioribus temporibus, sed quomodo ideo Athenodorus aequalis Lysippi et Apellis existimandus est? Immo sic rationes subducendae sunt. Si verum est, inter opera antiquorum artificum, Apellis, Lysippi, aliorumque tria tantum verbo ἐποίησε notata fuisse, atque si Plinius haec opera, vt ipse pollicetur, commemorauit: non referendus est Athenodorus, qui nullum trium illorum operum fecit, et tamen suis verbum ἐποίησε addidit, ad tempora Apellis et Lysippi, sed ad recentiora tempora. Probabile potius fit, omnes artifices, qui hoc verbo vsi sint, longe post Alexandrum M. atque sub Impe-

ratoribus vixisse. Neque tamen ideo omnes, qui ἐποίει suis operibus inscripserunt, antiquiores existimandi sunt: nam inter recentiores quoque aliquos aut modestiam amasse, aut huius amoris speciem prae se tulisse, credibile est. [Variae etiam hic dubitationes suboriuntur. Estne hic Athenodorus idem ille, qui inter auctores Laocoontis memoratur? Quae sunt illa tria monimenta, quae Plinius a se indicata esse dicit? Equidem nullum eorum indicium inuenio. Quae fuit illa statua, cuius basis inuenta fuit? Quid? si illa ad tria illa opera antiqua pertinet, in quibus verbum ἐποίησε Plinius obseruauit.] Denique quaerit Vir Cl. quidni Laocoontis statuam aemulatio, quam Imperatorum priorum prodiga liberalitas excitauit, proferre potuerit? cur non Athenodorus, Agelades et Polydorus, digni aequalibus Arcesilao, Diogene, Posidonio, Strongylione esse potuerint? [Semper tamen ille scrupulus haeret, quem iniecit operum pulchrorum, quae illi aetati tribuenda sunt, penuria. Fateor Dioscoridis et Solonis manus sub Augusto praeclara opera edidisse. Sed hi gemmis scalpendis inclaruerunt.

Ipsa

Ipsa vero Augusti statua in Capitolio mediocris artis specimen esse fertur. Statuariae profecto morientis potius, quam, quae vnice Laocoontem parere potuit, florentis monimenta Imperatorum tempora edidisse arbitror. Sub Tito autem, cuius aetati statuam tribuere videtur, pictores quidem duo floruisse, e Plinio disci, statuarium aliquem memorari, non memini.] p. 247.

Sed redeamus ad eam quaestionem, cuius priorem partem supra attigimus, vtrum poeta statuarium, an hic illum imitatus sit. Illud, dicit, multo minus a me intelligi potest, quam hoc. Nam si artifices in quibusdam poetam non secuti sunt, causa consilii ex natura artis, cui inseruiebant, reddi potest. Sed cur Virgilium recessisse dicamus a norma statuae? Non minus excellentem Laocoontis imaginem dedisset, in omnibus illud exemplum secutus, vt apparet ex pulcherrimo, quo hanc statuam descripsit Sadoletus, carmine. Video facile, quomodo Virgilius, solius mentis viribus nixus, illam imaginem effingere potuerit, sed non video causam, qua ille ad mutandam pulchram, quam ante oculos haberet, imaginem adduci p. 69.

potuerit. Si Virgilius statuam ante oculos habuisset, minus obscure indicasset tria corpora, vno nodo constricta: si adspexisset doloris cum pulchritudine coniuncti effigiem, non plane neglexisset magni animi et virilis fortitudinis ideam: si serpentes manus et crura implicantes vidisset, non omisisset, quos Sadoletus pulchre pinxit, hos orbes serpentum. Sint etiam a Virgilio quaedam feliciter mutata, fuerunt tamen voluntariae hae mutationes. Iam si ideo alium imitamur, vt similes illi simus, quomodo, si sine necessitate quidquam mutamus, similes esse possumus? Nonne, si hoc facimus, apparet, nos non similes esse voluisse alteri, ideoque illum non imitatos esse. At, dixerit quispiam, singulas tantum partes statuae poeta expressit. Audio: sed quae sunt illae partes, quarum exemplum poeta ab artifice necessario repetere debuit? Patrem, liberos, serpentes vtrique historia praebuit. Praeterea de nulla alia re conuenit vtrique, quam de nodo, quo pater et filii constringuntur. Hoc inde accidit, quia patri idem infortunium tribuendum erat, quod liberis: id quod, Graecis mythographis inauditum,

ditum, Virgilius inuenisse videtur. Si igitur alter alterum in hac re imitatus est, artifici potius imitandi studium tribuemus. In reliquis discrepat vterque, hac differentia, vt si artifex mutauerit quidquam, artis natura coactus, voluntas tamen et studium poetam imitandi maneat, sin poeta, hae ipsae mutationes nulla necessitate susceptae ostendant, illum artificem imitari noluisse.

His obseruationibus addita est com- p. 57. paratio Laocoontis Virgiliani cum statua. Pulchre vterque finxit, patrem et filios vno nodo serpentum coniunctos fuisse, licet poeta rem magis attigerit, quam expresserit. Vterque brachia libera relinquit, vt nodos manibus diuellere sacerdos tentet. Hinc statuae adfectus, vita, et animus accedit. Illi versus:

Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati superant capite et ceruicibus altis,

poetae prosunt, sed nocent statuario, qui aliter hic rem egit. Liberae esse debebant corporis partes primariae, nec quidquam impedire laborem musculo-

rum et nemorum, aut minuere. Vt alia taceamus, duplex serpentum ambitus totum corpus occultasset, nec venter doloris vim indicasset tam luculenter. Inde statuarius femoribus et cruribus serpentes admouit, simulque fugam impeditam immobilemque sacerdotis statum indicauit. Virgilianus Laocoon indutus est vestibus sacerdotalibus: statua nuda apparet. Apud poetam vestis nihil nocet: mens omnia penetrat, dolorumque violentiam assequitur. Vitta in capite statuae minuisset affectum, cuius sedes est frons: in carmine cincta videtur frons vitta, non velata. immo hoc sacerdotis indicium, sanie atroque veneno perfusum, rei atrocitatem auget.

Ex hac Laocoontis consideratione subortae sunt Auctori variae obseruationes de necessitudine atque coniunctione poesin inter atque picturam. Has ad caput tertium referemus, cumque omnes a nobis repeti nequeant, (maximam enim libri partem occupant) argumenta certe indicabimus breuiter.

p. 79. Primum, inquit, cum artifices atque poetae eandem rem saepe eodem modo considerare debeant, non potest fieri,

fieri, quin, licet neuter alterum expresserit, res multas similiter imitentur. Hinc valde reprehenditur Spencius, qui in minutissimis rebus poetas hanc vel illam statuam picturamque respexisse ostendere studuit. Illius librum (*) plenum esse fatetur copiosa eruditione, eumque consilium, ex antiquis monimentis poetas interpretandi, illisque ex horum carminibus lucem affundendi, saepe bene executum esse, sed addit tamen, eundem librum non posse non summopere lectori venustatis studioso displicere. Hanc sententiam aliquot p. 94. argumentis firmat. Tum refutat eiusdem opinionem, arctissimam fuisse antiquitus necessitudinem inter poetas et artifices, semperque alterum respexisse alterum, exemplisque apte allatis docet, poeseos imperium multo amplius esse, quam picturae: res sibi subiectas habere, quas haec non assequitur: saepe causas habere, cur res, quae pingi nequeant, praeferat iis, quae pingi possint: poetae plus licere, quam

(*) *Polymetis, or an Enquiry concerning the Agreement between the Works of the Roman Poets and the Remains of the antient Artists.*

quam artifici. Tum deos, quorum ministerio poetae vtantur, longe differre ostendit a diis, quos artifices effingunt. hos semper eundem χαρακτῆρα retinere debere: illos, tanquam numina agentia, mutabiles quoque affectus admittere.

p. 102. Porro in comparandis pictorum et poetarum operibus diligenter considerare nos iubet, an vterque plenam habuerit libertatem, nullaque causa impeditus fuerit, quo minus summum artis effectum tentaret. Distingui debent opera, quibus artifex, solius artis ostentandae causa, admouit manus, quaeque sola nomen monimentorum artis merentur, ab iis, quae clara doctrinae religionis signa habent, quaeque templis et cultui dicabantur.

p. 113. Tum refutat Spencium, qui minus luculenter poetas pingere miratur Musarum, Virtutum, similiumque notionum formam, quam artifices. Apud poetas ipso iam nomine, eoque, quod agunt, harum notionum natura indicatur: artifices idem symbolis, quae necessitas inuenit, efficere student. Hinc saluberrimam regulam elicit, poetisque proponit. Monet enim, ne, quae ar-

tifices

tifices egestate coacti fingant, suas divitias censeant, inuideantque illis artem, quam, vt poesin assequerentur, inuenerunt. Sed etiam horum symbolorum alia aptiora aliis poetisque digniora censet. Haec sunt illa, quae non allegorica, sed vt instrumenta consideranda sunt, quibus illa numina, si, vt hominum genus, agerent quidquam, vterentur. Sic Martis manum hasta, forceps Vulcanum decet. Ita etiam veteres poetas egisse docet.

Quae sequuntur, pertinent ad Cayli librum, in quo pictoribus argumenta ex Homero et Virgilio proposuit (*). Primum caussam exponit, cur laudi ducatur artifici, poetas imitari, licet nihil aliud agat, quam vt verba poetae colore et figuris referat. Difficilius in pictore videtur, exsequi aliquid, quam inuenire: in poeta facilior iudicatur executio rei, quam inuentio, ideoque maiori honori est. Tum, cur non eum vsum hunc librum artifici praestare credat, qui fortasse exspectetur, exponit. Deinde, quia Homerus duplicis generis actiones et personas commemorat, p. 119.

(*) *Tableaux tirés d'Iliade, de l'Odyssée d'Homere & de l'Eneide.*

morat, cum, quae conspici possunt a
mortalium genere, tum, quae nequeunt,
atque pictori illas tantum exprimere li-
cet, Caylum, vtriusque generis tabu-
las non interrupta serie postulantem,
obscuritatem confusionemque rerum
non paruam inducere arbitratur. Eun-
p. 147. dem Caylum non recte existimare osten-
dit, de ingenio et arte poetae iudican-
dum esse ex numero imaginum, quas
pictori offerat. Parum enim sollerter
de ingenio poetae coniecturam fieri ex
imaginibus, ab ipso versibus praeclare
p. 150. licet expressis. Quae sequuntur, per-
tinent ad differentiam inter poetas et ar-
tifices ostendendam. Poeseos impe-
rium, tempore succedente, picturae spa-
tio terminatur. Pictori actiones, quae
longius uno momento durant, imitari
non licet: ad illum pertinent corpora
cum virtutibus, quae in oculos incurrunt,
ad poetam actiones. Imitatur etiam
ille actiones, sed ministerio corpo-
rum vtitur: hic quoque corpora pin-
git, sed per actiones indicat. Haec
eruditissime illustrantur Homeri exem-
plo: hinc vtiles poetis regulae dantur,
quae a nobis repeti nequeunt. Com-
p. 184. paratur clypeus Homericus cum Virgi-
liano,

liano, et, quantum hic illi cedat, ostenditur. Inprimis laudatur ars Homeri, qui singula, dum fiunt, narrat, cum Virgilius iam perfectum clypeum monstret. Docet etiam, numerum picturarum in clypeo Homeri auctum fuisse a Boiuino. ipse tantum decem obseruat. p. 189. [Non videtur Vir Cl. ea cognouisse, quae de clypeo Achillis, Herculis, et Aeneae a Caylo alio loco (*) dicta sunt]. Porro exponit causam, cur Homerus nusquam formosa corpora aut Helenam pinxerit, eumque nihilominus pulchritudinem illius summam bene indicasse addit. Cur pictori tur- p. 231. pitudinem formae non exprimere liceat, causas reddit, nec tamen Homerum in Thersite pingendo peccasse, ingeniose et acute docet. Praeterimus alia, quae de hoc argumento dicuntur, virorumque doctorum examine dignissima sunt. [Equidem fateor, me non vbique Viro Cl. assentiri. Videtur enim mihi nimis arctis finibus artificum ingenium coercere, nimisque seuere de iis operibus iudicare, in quibus solam artem miramur, atque pictoris facultas, solidam

(*) *dans l'histoire de l'Academie des Inscriptions.* T. XXVII.

dam viuamque rei imaginem exprimendi, nos delectat. Sed nimis multa dicenda forent, si haec examinare omnia vellemus. Quare duo tantummodo loca, Pausaniae alterum, alterum Plutarchi, adscribemus, reliqua in aliud tempus reseruaturi. Hic igitur scribit (*): ἀλλὰ πρὸς τοῦτο διδάσκωμεν αὐτὸν, ὅτι γεγραμμένην σαύραν, ἢ πίθηκον, ἢ Θερσίτου πρόσωπον ἰδόντες ἡδόμεθα καὶ θαυμάζομεν, οὐχ ὡς καλὸν, ἀλλ' ὡς ὅμοιον· οὐσίᾳ μὲν γὰρ οὐ δύναται καλὸν γενέσθαι τὸ αἰσχρόν. ἡ δὲ μίμησις, ἄντε περὶ φαῦλον, ἄντε περὶ χρηστὸν ἐφίκηται τῆς ὁμοιότητος, ἐπαινεῖται. Ille Polygnoti tabulam commemorat (**), in qua conspiciebantur Παλαμήδης τε καὶ Θερσίτης κύβοις χρώμενοι παιδιᾷ τῷ Παλαμήδους εὑρήματι. Qua de causa haec a nobis allata sint, facile Vir Cl. intelliget. Properandum nobis est ad alia.]

p. 284. In quarto capite coniecturam Auctor proponit de statua gladiatoris in villa Borghesiana, quem alii discobolum existimant. Ipse hanc statuam Chabriae

briae

(*) de audiendis poetis c. 3. p. 16. ed. Krebs.

(**) *Lib. X.* c. 31. p. 874.

briae tribuit, qui, vt Nepos narrat, milites *loco vetuit cedere, obnixoque genu scuto, proiectaque hasta impetum hostium excipere docuit, sibique hoc statu fieri voluit statuam.* Neque enim *obnixo genu scuto* interpretatur, obfirmato genu ad scutum, sed τὸ *scuto* coniungit eum τῷ *proiecta hasta.* [Neque de hac re me sibi assentientem habet Vir Cl. Primum non nego, τὸ *obnixus* hoc sensu occurrere, et potuisset Auctor locum Liuii laudare (*): *ne procurri quidem ab acie velim, sed* obnixos *vos stabili gradu impetum hostium excipere.* Sed insolens est dicendi ratio *obnixo genu*, non addito nomine rei, cui obnititur. Alia ratio est exemplorum, vbi *pectus* et *frons* obniti dicitur. Quid vero est obnixo genu? an idem, quod obnixo gradu? Hunc certe sensum locus postulat. Porro plerorumque codicum lectio Viro Cl. aduersatur. Nam in iis legitur *obnixoque genu scuto proiecta hasta i. e. h. d.* Verbum *que* non posset deesse, si τὸ *scuto* coniungi deberet cum τῷ *hasta.* Denique dextra manus statuae, quae *proiectam hastam* tenet, ab

(*) L. VI. 12, 8.

ab artifice recentiore addita est. Inde nihil certi de hac statua dici potest.]

Quinto capite comprehendimus obseruationes varias, per totum librum dispersas, quibus aut auctorum veterum loca emendantur illustranturque, aut alia exponuntur, quae eidem argumento libri coniuncta sunt.
p. 54. Sic comparat Vir Cl. Virgilii et Petronii de Laocoonte versus, et hunc illo multo inferiorem esse ostendit. [Fecit hoc iam Iac. Tollius, nec infeliciter, vt arbitror,
p. 35. rem egit (*).] Alio loco interpretatur Sophoclis versus in Philoctete, 201-205.

Ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος, οὐκ ἔχων βάσιν
Ουδέ τίν' ἐγχώρων
Κακογείτονα, παῤ ᾧ στόνον ἀντίτυπον
Βαρύβρωτ' ἀποκλαύ-
σειεν αἱματηρόν.

Non putat τὸ *κακογείτονα* locum habere posse, vbi mutui gemitus mentio fiat: nam hunc non posse a scelesto exspectari. Inde locum explicat: neque quemquam indigenarum mali socium habens [sed non puto Graecum verbum hanc interpretationem admittere, quae vim

(*) in *Animaduers. Critic. ad Longin.* p. 367.

vim etiam sententiae valde minuit. Mallem potius ἀντίτυπον interpretari σκληρόν: durum, vehementem, rigidum.] Ingeniosa est emendatio loci Pli- p. 280.
niani (XXXV, 10.) *Idem* (Augustus) *in curia quoque — duas tabulas impressit parieti. Nemeam sedentem supra leonem, palmigeram, ipsam adstante cum baculo sene, cuius supra caput tabula bigae dependet: Nicias scripsit, se inussisse.* Formula dicendi: *tabula bigae*, non satis Latina Nostro videtur, neque in Nemeaeis bigae, sed quadrigae adhibebantur. Constat vero, artifices antiquos saepe tabulis, picturae seu statuae addendis, nomina sua inscripsisse. Inde coniicit: *cuique supra caput* πτυχίον *dependet, quo* N*icias* &c. Glossator forte aliquis hoc verbum exposuit, addito verbo *tabula*, quod deinde in textum irrepsit, τῷ πτυχίον mutato in *bigae*. Eundem Plinium alio loco acu- p. 224.
te emendat. Legitur apud eum de Apelle: (L. XXXV. f. 36.) *Fecit et Dianam* sacrificantium *virginum choro mixtam, quibus vicisse Homeri versus videtur, id ipsum describentis.* Sed quid Diana agit inter sacrificantes virgines? nonne etiam Homerus dicit:

 τῇ

τῇ δὲ θ' ἅμα Νύμφαι — παίζουσι.
Ideo legendum est ibi: *saltantium*.

p. 81. Addamus his sententiam Auctoris de difficillimis Iuuenalis versibus (Sat. XI. 100.)

Tunc rudis et Graias mirari nescius artes —
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus, caelataque cassis
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis et hastae
Pendentisque *dei perituro ostenderet hosti.*

Non opus est virorum doctorum de vltimo versu opiniones repetere. Spencius et Addisonius Martem ad Rheam descendentem pendentemque quasi in aëre indicari putant, eademque forma illum cum in nummo Antonini Pii, tum in anaglypho apparere addunt. Ab his dissentit Vir Cl. Primum dicit, ὕστερον fecisset πρότερον Iuuenalis, si, primum de lupa et filiis locutus, addidisset deinde, quae praecedere deberent. [Responderi potest, non ordinem, qui historicum decet,

cet, hunc poetae, minime rem, quomodo acta sit, narranti, tam accurate obseruandum fuisse. Quid si etiam poeta dicere voluit, hunc militem lupam efformasse, alium Martis descensum?] Porro quaerit, quomodo hoc argumentum, non sat graue, galeam Romani militis deceat? [Facilis est responsio, quomodo decent capita Bacchantium et Satyrorum loricam? (*) nonne in thorace statuae Domitiani Nereis Amorque leoni inequitans conspicitur? (**) Existimare videtur, pendentis Martis formam a Spencio non sat fideliter redditam, sed auctam esse. [Hoc non potest dici. Ipsi hunc nummum adspeximus: omnes, qui eius imaginem exhibuerunt, viri docti (***) Spencii fidem firmant.] Denique censet, imperiti artificis indicium esse, pendens in aëre corpus exhibere, non expressa caussa, qua grauitas impediatur, nec occurrere similem imaginem in antiquis monimentis: nubem aut alas addi debuisse,

(*) v. *Montfauc. Antiqu.* T. IV. t. 29.

(**) vid. *Supplem.* T. IV. t. 4. adde Winkelmanni *Geschichte der Kunst* p. 398.

(***) v. g. Patinus in *Imp. Roman. Numism.* p. 214.

buisse. [Rem ipsum defendere nolo: sed simile exemplum recordor. In gemma Tiberiana (*) Aeneas orbem heroi equo insidenti offerens in aëre pendet, nec alis sustentatus, nec nube.] Ipse igitur putat, Martem *pendentem* esse *communem*. [Primum haec vis non potest huic verbo tribui. Incertus animoque dubius, cui victoriam tribuat, Mars pendens est. Estne etiam credibile, Romanum militem auctorem generis sui et patrem vtrique parti fauentem, nec potius solis nepotibus propitium exhibuisse? Quomodo denique ille communis Mars fingi potuit? Ego puto *pendentem* Martem esse: *suspenso* gradu accedentem, atque hanc dei tacite accedentis speciem sculptorem in numo exhibere voluisse. Luculentius haec intelliguntur, si consideraueris sinistrum pedem sublatum, et anaglyphum eiusdem argumenti, a Montefalconio datum, laudatumque ab Auctore, adspexeris. Eodem modo ibi Mars incedere dextroque brachio tacitum incessum indicare videtur, quo in numo apparet.

(*) v. Alb. Rubeni *Differt. de Gemma Tiberiana et August.* in T. XI. Thesaur. Graeviani.

paret. Compara aliam marmoream tabulam (*), quae Martem ad Venerem accedentem simili specie exhibet.]

Vltimo capite tolluntur naeui quidam e praeclaro Winkelmanni opere de historia artium. Nam et confudit ille inter se aliquoties hominum rerumque nomina, et saepiuscule non ipse inspexisse videtur veterum scriptorum libros, sed, Iunium nimis secure secutus, errores interdum commisit, quos Viri Cl. diligentia et eruditione correctos esse laetamur. p. 289.

Si verum dicere licet, nos quoque saepius obseruasse meminimus, non ipsos veteres auctores euoluisse videri semper Winkelmannum, sed a Iunio aliisque laudata loca descripsisse. Reddiderunt forte virum doctum nimiae laudes securiorem, quibus prima illius opuscula, multo meliora eo, quod de allegoria compilauit, extulerunt quidam, quibus si me quoque accensueris, nec miror, nec indignor. Vtinam ne exemplo Winkelmannus suo aliquando doceat, saepe nocere auctorum famae et ingeniis praeconum

 et

(*) in Bellorii *Admirand. Antiqu. Roman.*

et amicorum voces, plausus et laudes, minuere diligentiam, addere fastum et fiduciam!

V.

Auli Persii Flacci Satyrae.

Bernae, ex offic. hered. Wagneri, 1765. pagg. 184. 8.

Hanc Persii editionem adornatam fuisse accepimus a Cl. *Sinnero*, qui Catalogo codicum, quibus bibliotheca Bernensis superbit, composito editoque iucundam et vtilem viris doctis operam praestitit. Qui nuntius si verus fuit, vt puto, quidni sperem, Virum eruditum pro humanitate, quam nos quoque expertos esse profitemur, candoreque Helvetico boni consulturum esse libertatem, qua cum, quae bona liber habeat, enarrabimus, tum, quae nobis displiceant, iudicabimus? Nam eruditionem viri antiquarumque litterarum scientiam satis testatur ille index, cuius mentionem fecimus.

Ipsa haec editio formis descripta est nitidis, atque etiam ornamentis quibus-

dam,

dam, chartis virginali candore conspicuis laminarum aenearum incussu mandatis, oculos lectoris allicit. Sunt illa ex opere, quod picturas Herculanenses continet, e Museo Florentino, aliisque operibus sumta, sed non scienter satis ab artifice reddita. Nec raro operarum negligentiam obseruauimus, vbi Graeca verba Latinis inspersa sunt. Sed nolumus diutius in externa libri specie haerere.

Praefationem Gallicam, in qua de instituti ratione Auctor agit, sequuntur Persii Satyrae, quibus e regione vbique versio Gallica apposita est. Ad illam cognoscendam non nego nos curiosius accessisse. Nobis enim semper difficile visum fuit, illam verborum vim sententiarumque breuitatem, qua Persius excellit, quauis alia lingua reddere. Inter Anglos Drydenius, et Tarteronius inter Gallos rem aggressi sunt. Sed nec hic intellexisse satis videtur carmina, quae interpretari ausus est, id quod illi commune est cum plerisque popularium suorum, et illius si interpretationem lego, saepius Anglum audio, vbi Romanus loqui debebat. Neque etiam Nostro, vt verum fatear, felicius

res successisse videtur. Nam licet illum sensum Persii melius omnibus reliquis assecutum esse intelligam: non raro tamen eundem languere video, vbi Persius plenus neruorum est, conniuere et fere obdormiscere, vbi ille ardet, nec ea fide vestigiis poetae insistere, quae interpretem decet. Cuius nostrae sententiae dabimus aliquot argumenta. Ipse Vir Cl. in praefatione laudat diuinos hos versus (S. III, 35.)

Magne pater diuûm, saeuos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Mouerit ingenium, feruenti tincta veneno:
Virtutem videant, intabescantque relicta.

Praeclaros hos versus quis non videt parum luculenter reddidisse Virum Cl. *O Jupiter, pour punir les tirans, qui ne reçoivent des loix, que de leurs desirs criminels, faites leur connoître la vertu, qu'ils ont quittée:* Addamus aliud exemplum. Notum est Satyrae quintae initium:

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum:

Fabula

Fabula seu moesto ponatur bianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine
ferrum.

Haec ita ab interprete redduntur, vt mire in aliis prodigus sit, in aliis nimium parcus. *Rien n'est si commun chez les Poetes, qui traitent des sujets heroiques, que l'hyperbole & l'exclamation. Ils voudroient avoir cent bouches & autant de langues, lorsqu'il s'agit de decrire un combat sanglant, ou de remplir la Scene Tragique de terreur & de pitié.* Non nego, talem esse sensum horum versuum. Sed plane alio modo loquitur Gallus, alio Romanus poeta, qui pulchre in versu quarto respexit ad argumenta multorum carminum, quibus Parthorum bella signaque recepta cecinerunt poetae. vid. Horat. *Serm. II, 1, 15.* Non sunt haec interpreti negligenda, quae licet minuta videantur, tamen non sine causa ab auctore posita sunt. Plura qui exempla cognoscere velit, facile illa inueniet.

Satyris addita est Vita Persii, quam Probo vulgo tribuunt. Hanc excipit explicatio monimentorum veterum, quae huic editioni addita esse diximus. a p. 91. Vltimo loco sequitur commentarius Gal-

lico sermone conscriptus, quo difficiliora Persii loca Auctor illustrare voluit. Ipse quidem in praefatione fatetur, se mediam viam breuitatem inter atque nimiam interpretum garrulitatem elegisse, recteque monet, non esse nimis trita et vulgaria repetenda. Sed aut vehementer fallor, aut non satis ipse sibi a repetitione obseruationum quotidianarum cauit. Certe compluribus exemplis consideratis, id quod de aliis dicit (*), de ipso iudicandum esse videtur. Verbose Auctor p. 91-94. disputat, utrum *Satyra*, an *Satira* scribi debeat, quaeque de origine Satyrae addit, hercle! peruulgata sunt. Quid opus fuit docere, vnde *Maenas* descendat? (p. 120.) aut cui scripta est haec notula? (p. 133.) *L'infinitif* laetari *est mis ici pour indicatif.* Laetari *pour* laetatur? Talia olim Minellius et Iunkerus iuuentutem docuerunt. Cur, quid sit puteal, (p. 149.) explicuit, aut vnde *Soritas* descendat? (p. 184.) quomodo scribere potuit: *Mercure étoit représenté dans les Monumens une bourse à la main; c'etoit*

(*) p. 90. *c'est assez l'usage des commentateurs d'expliquer ce, que tout le monde entend.*

c'étoit le Dieu des gains & du commerce (p. 182.)

Quae quidem ab Auctore scripta esse eo magis miramur, quo verius ipse dixit: *Celui, qui ignore, que Phaëton est le fils d'Apollon & que Castor & Pollux sont les enfans de Jupiter & de Leda, ne doit point lire des poetes. Il en est ainsi de certaines connoissances d'histoire, & de géographie, qui doivent également précéder leur lecture.* Praef. p. 7. Contra vero non raro animaduertimus, quaedam Auctorem praeteriisse, de quibus illius sententiam scire mire cuperemus. Certe Casaubonum pleruinque, aliosque interpretes secutus esse videtur: raro ipse noui aliquid protulit, immo, vbi hoc fecit, non res bene illi cessit. Nam in quorundam locorum interpretatione errasse nobis videtur. P. 102. scribit: *Je crois, que ce mot* (semipaganus) *a ici une force particuliere, mis en opposition avec les* sacra vatum, *& j'entens* semipaganus *pro semiprofanus.* Sed verbum Paganus apud Christianos tantum scriptores profanum hominem indicat, ideoque Persius verbum hoc sensu non potuit vsurpare. vid. Christ. Cellarii *Curas Posterior. p. 276.* Casauboni interpretationi

pretationi mirifice fauet locus Plinii, VII. Ep. 25. *Sunt enim vt in castris, sic etiam in litteris nostris plures cultu Pagano, quos cinctos et armatos, et quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus inuenies.* vbi vide Buchnerum.

Porro quod scribit p. 145. ad Sat. IV, 15. *Je doute, qu'un ancien ait dit ante diem pour signifier avant jour;* illud reuocatur loco Horatii (*Epist.* I, 25.) *et ni Posces ante diem librum cum lumine.* Eodem sensu saepe formula *ante lucem* occurrit, vt in Cic. *Epist.* XVI, 3. Nec ego puto illos versus: *Nec fonte labra,* etc. ad primam Satyram pertinere, quacum eos Vir Cl. coniunxit. Neque enim vllum scio poetarum veterum duo carminum genera commiscuisse. Petronii enim exemplum non plus valet, quam Senecae aut Martiani Capellae. Neque intelligo, cur Vir Cl. veritus sit, ne, si illi versus Prologum constituant, initium Satyrae obscurum et abruptum sit. Nam talia exordia a Persii ingenio et scribendi ratione minime abhorrent. Amat profecto ille talia, vt Satyrae tertiae initium ostendit: *Nempe haec assidue?* etc.

VI.

VI.

An Enquiry into the Beauties of Painting, and into the Merits of the most celebrated Painters Ancient and Modern: by *Daniel Webb.* Esqu.

Londini. 1761. 8. ap. Dodsley.

Delectauit nos huius libri lectio, ad cuius argumentum cognoſcendum omnes inuitamus, qui artium amore teneantur, ſuauiſſimoque pabulo humanitatis et venuſtatis animum explere cupiant. Fateor equidem, ſummum eſſe veterum artificum admiratorem noſtrum Auctorem, atque, id quod fere ſemper iis accidere ſolet, qui nimio alicuius rei amore tenentur, interdum modum excedere in iis laudandis, recentiorumque laudi ſubinuidere, certe iis detrahere conari: ſed praefert tamen liber ingenium amoenum, ſenſu venuſtatis plenum, politum, limatumque cum praeclarorum operum attenta contemplatione, tum plurimarum rerum ſcientia, cuius veſtigia cum voluptate deprehendimus. Quam quidem argumenti praeſtantiam ſi ſcribendi ratio aequaret, nihil

nihil illo posset perfectius cogitari, nihil suauius. sed licet dialogorum scribendorum consilium ceperit Auctor, difficilem tamen hanc artem non ita calluisse videtur, vt Socraticorum Philosophorum discipulo hi dialogi placere possint.

In praefatione causas exponit, cur, cum tot homines de pictura recte iudicare videri cupiant, cumque facile sit, hanc facultatem assequi, pauci tamen ea excellant. Primum, dicit, in eo plerique peregrinantes peccant, quod summa velocitate templa et musea peruolant. *nimium vident, nec tamen totum.* Longe his foret vtilius, paruum picturarum numerum saepius atque attente contemplari. considerari debent tabulae, quarum vim atque virtutes intelligere volumus. Porro de omnibus picturis ex fama artificum iudicare solemus, vnde et mediocres tabulas admiramur et bonis laudem derogamus. Dominicus interdum cum Raphaele comparari potest: in aliis picturis longe hac praestantia inferior. Multum obest etiam ambitiosa cupiditas, ingenia et rationem variorum artificum tenendi. Inde non de picturae, quam ante oculos habemus,

bemus, virtute et vitiis iudicamus, sed minutias quasdam in vniuersum memoriae mandamus, iisque, quasi pictori alicui propriis, recitatis vbique, praeclare nobis sapere videmur. Nonne dissimilem rationem adhibet magnus artifex in dissimili argumento? Denique multi picturas non eo consilio contemplantur, vt sibi iudicandi recte facultatem comparent, sed vt speciem eruditi iudicis praeferant. Inde naeuos minutos captant, iisque obseruatis, valde sibi placent. Quasi vero non maioris ingenii indicium virtusque sit, latentem aliquam venerem eruere, quam centum, quae quisque committere potest, vitia animadvertere. Haec de praefatione.

In *Dial. I.* totius libri argumentum exponitur. Praeterea explicatur, quid μηχανικὸν, quid ideale sit in artibus. Illa pars naturam exprimit, qualis est: haec imagines, quarum species in mente tantum insidet, exhibet. illa imitatur: haec inuenit. Perfectio artis vtriusque partis coniunctione absoluitur. Inter recentiores Raphael reliquis felicior fuit: proximus fortasse Correggius. In *Dial. II.* Auctor de facultate iudicandi

de pictura agit. Docti, inquit Quintilianus, rationem artis intelligunt, indocti voluptatem. His verbis fines inter sensum, seu si gustum malis dicere, atque doctrinam constituuntur. Ille gustus est animi facultas, quae eo, quod in arte aliqua praeclarum est, movetur; est sensus veritatis: eruditio institutione indiget et explicatione huius veritatis, modorumque, quibus vim suam exserit. Facile intelligitur, vtramque facultatem in iudicio ferendo saepe conspirare, licet non eodem modo hoc fiat. Hic consensus nos in errorem ducit atque efficit, vt alteram ab altera non sat sollerter semper distinguamus. Talis error est, si artificem solum de statuaria et pictura recte iudicare putamus. Potest hoc de artis parte, quae manu fit, dici, non de vi, quam illa exserit, et artis effectu. — Varii sunt gradus gustus pro varietate illius sensus, quem natura nobis dedit, quemque magis minusve excoluimus: diuersitas gustus e diversitate Phantasiae, educatione, corporis qualitate, aut aliis causis formatae, oritur. — Omnes semina gustus habemus, atque vires, quas exercita-

tione

tione ad probabilem artium cognitionem acuere et perducere possumus. [Equidem haec optare, quam existimare, malo, nisi me deceperit error quidam. Nam homines obseruasse mihi videor, qui nil humani haberent praeter formam.] *Dial. III.* antiquitatem et vtilitatem picturae ostendit. Auctor picturam antiquiorem censet Homeri temporibus, quia eodem semper tempore pictura, statuaria, et eloquentia floruerint, vt Alexandri, Augusti, Leonis, Ludouici aetate. [Aliter sensisset Auctor, si patriae suae fata considerasset, in qua licet eloquentia et poesis floruerint, artium tamen honos sat diu iacuit.] Porro, inquit, statuaria et pictura, quarum mater Graphis est, non disiunctae vigent. Illam ante Homerum cognitam fuisse, ex Achillis clypeo apparet. — Artem litteris scribendi arte pingendi iuniorem Noster iudicat. Immo si, quamque artem non repente perfici, verum est: eam iam Troiani belli tempore floruisse, existimemus necesse est. quia fidelior haec et propior est notionum imago. [Tota haec de antiquitate picturae opinio refutatur, si reminiscimur antiquissima opera, ab

auctoribus commemorata, quae clare infantiam artis testantur.] Quae de vtilitate picturae Auctor disputat, quam dicit ingenium mollire, mores formare, in intimos penetrare affectus, humanitatis, φιλανθρωπίας, virtutis magistram esse, non opus est repetere. Saepius enim eadem, ab aliis dicta sunt (*). *Dial. IV.* complectitur picturam linearem, quae etiam Graphis dicitur. Plinius narrat, antiquissimas statuas conniuentibus oculis, pedibus iunctis, brachiis in latera demissis, statu rigido formatas fuisse. Daedalus animam addidit et vitam figuris. Artis honore aucto accessit gratia et motus. Immo artifex dispersas collegit veneres, earumque coniunctione pulchritudinem perfectam creauit. Sic inuentores, si compositionem spectes, euasere artifices. Graeci artifices nouam concepere animo rerum formam. Phidiae Iouem et Mineruam ingeniosissimus quisque admirabatur. Eiusmodi statuarum admirationem parit coniunctio pulchritudinis cum magnitudine insolita. Voluptas, quae ex consi-

(*) v. c. a. Scheffero *de arte pingendi* §. 5. p. 17.

confideratione figurarum Coloffearum oritur, gignitur comparatione formae illarum cum noftra. Animus ambitiofe elatus, fe maiores res proferre poffe fentiens, voluptate perfunditur, ideasque et confilia concipit, mortali forte maiora. Nihil enim animo noftro iucundius eft, quam fi nos efferri, propiusque diuino auctori admoueri fentimus. Hanc facultatem Colofſeas creandi figuras comitatur facultas coniungendi fublimitatem cum forma parva. Huc pertinet Lyfippi Hercules, cuius Statius mentionem facit:

Paruusque videri
Sentirique ingens.

Hic Hercules Lyfippi et Iupiter Phidiae magnitudinem ingenii Graecorum oftendunt, longe qui poft fe veteres et recentiores Romanos reliquerunt. Illis profuit confuetudo *nihil velandi*: his nocuit mos thoracas addendi. nam nuda corpora plurimum laudis oftentant et picturae lineari perficiendae inferuiunt. Quod Romanis, idem nobis hodie nocet. Graphis veterum excellit fymmetria, naturali ambitu et motus praeftantia, quo animus pingitur, qua-

tenus ille ore se exserit et gestu, et omnes sensus exprimuntur. Omnis motus veterum statuarum, omnis status simplicem gratiam et dignitatem sine cura praefert. Hac parte Raphael admirabili imitatione veteres expressit. Nihil illius Caecilia venustius cogitari potest. quanquam felicior ille fuit in philosophis et apostolis, quam in foeminis, ponendis. Eam venerem, quam Venus Medicea et Niobes filiae praeferunt, in illius muliebribus figuris non animadvertimus. — Sequitur hoc loco longiuscula disputatio de ingenio et arte Raphaelis, nec virtutibus, nec vitiis eius praetermissis. Huic amabilissimi Correggii, χάριτα sectantis vbique, et amoenum ingenii florem ostendentis, laus meritissima adiungitur. *Dial. IV.* pertinet ad colores. Veteres pulchritudinem in colore collocabant. Colorum vis maxime nos mouet, immo quotidianae formae, quae mixto candori rubore conspicuae sunt, placent perfectissima symmetria. Apelles famam et laudem debet pulchritudini et veritati, a coloribus oriundae. Si, quae veteres de colore scripserunt, consideramus, eos, nisi superasse, certe aequasse recentiores

centiores intelligimus. — Haec sequitur comparatio Raphaelis et Titiani in arte vsurpandorum colorum. Ille durior et siccior videtur in carne exprimenda: quanquam melius res illi successit, vbi in tectorio vdo pinxit, quam vbi oleo vsus est: ibi omnes superat: hic Titiano et Correggio cedit. Titianus inter omnes recentiores colore maxime excellit, nisi quod colores virorum et foeminarum non satis distinxit, atque in his colores adhibuit, qui magis viris conueniunt. Quod attinet ad amicum concentum colorum, recentiores antiquis superiores videntur. Antiqui nuda corpora pingebant, atque hinc veritas et pulchritudo colorum: recentiores vestibus figuras induunt, atque hinc concentum colorum obseruant, differentia colorum alterna vice sese excitante. Haec tamen diligentia fortasse effecit, vt potiores artis partes recentiores negligerent. In *Dial. VI.* agitur de lumine atque vmbra. vbi Auctor dicit, magis nos erudiri, si attente intueamur vnam Correggii tabulam, quam si, quaecunque Vasarius, Felibienius et alii de hac re scripserunt, legamus. Profert deinde varia scriptorum loca, vnde, quid

antiqui exiſtimauerint, apparet: vim quam habeat vmbrae et luminis apta diſpoſitio, oſtendit: laudat inprimis verſus Virgilii (*Aen. I, 590.* ſq.), quos vmbrae luminisque rationem luculentiſſime docere dicit, tamque praeclaros cenſet, vt, tabulam aliquam pictoris poetam ante oculos habuiſſe, coniiciat. Tum, quid ad hanc rem requiratur, exponit, eosque notat, qui veteres artis, quae ad aciem oculorum, certo loco centri conſtituto, ita lineas ducat, vt pro diſtantia rerum alia abſcedentia, alia prominentia eſſe videantur, nullam ſcientiam habuiſſe dicunt, quos Philoſtrati et Vitruuii auctoritate bene refutari credimus. Denique Raphaelis et Correggii comparatio inſtituitur.

In *Dial. VII.* de oeconomia, ſiue totius operis collocatione Auctor exponit, Quia tabula hiſtorica actionem exiguo temporis ſpatio incluſam exhibet, credidit, ſe praecepta a theatro arceſſeré poſſe, ideoque cum de perſonarum diſpoſitione, tum de ipſa actione agit. Primum igitur venuſtam iubet figurarum collocationem obſeruari, cuique ſuum χαρακτῆρα tribui, vt Leonhardus Vincius fecit in pictura, qua ſupremam

mam Christi coenam proposuit, et ita collocari omnia, vt vis adsit. Lanfrancus et Petrus Cortonensis maxime figurarum dispositione excelluerunt. Hic eos Auctor refutat, qui dispositioni veterum detrahunt, illisque hanc etiam laudem asserit. Ad alteram partem refert argumentum tabulae, seu fabulam, dispositionem seu inuentionem, χαρακτῆρα et mores, affectuumque varietatem. — Veteres pictores credebant, magnas et praeclaras actiones ingenium artificis extollere: ignobiles et humiles deprimere. Profana Graecorum historia magnis exemplis abundabat, atque etiam sacra sublimi argumento inseruiebat. Diis aderat χάρις, majestas et pulchritudo, iidemque tamen dii humanorum affectuum capaces erant. Quanto inferior hac veterum artificum fortuna recentiorum sors! Arte horum vtuntur sacrificuli, aut principes sacrificulorum similes: argumenta plerumque e religione desumta sunt, quae nos affectus opprimere iubet. Homines nostri artifices pingunt, ad infimam qui plebem pertinuerunt. Ipse diuinus doctrinae magister prolixis capillis, barba Iudaica et egestatem corpore praeferens

vultuque ſublimitati formae detrahit: quae illius propria ſunt, ſigna animi modeſti, patrisque voluntati morem gerentis, ſenſum quidem pietatis excitant; ſed pictori non fauent. Comparemus Chriſtum foeneratores eiicientem templo cum fulmen tenente Alexandro Apellis. Praeterea cruciatus, quos recentiores pingunt, tolerabant martyres aut ex vaticiniis, et voluntate diuina, aut ipſi elegerant, praemiis maximis propoſitis. Quae quidem omnia pia ſatis ſunt, ſed minus nos mouent ſacrificio Iphigeniae, puellae pulchrae, innocentis, infelicis, fatorum crudelitate oppreſſae, dignaeque, cuius ſortem omnes doleant. — Tranſit Auctor ad ἤϑη penecillo expreſſa, et, cur Calliſtratus ἠϑοποιητὸν τέχνην appellare potuerit picturam, oſtendit: loquitur de affectu, qui ſe toto corporis motu oſtendit: quam excelluerint hac arte veteres artifices, oſtendit: ad Raphaelem, quem magnificentiam et ἐνϑουσιασμὸν veterum aſſecutum eſſe negat, redit, illius de mundi creatione tabulas reprehendit, plures examinat alias picturas. Vltima pars Dialogi comparationem veterum et recentiorum artificum picturaeque et poeſeos continet.

VII.

VII.

CENSVRAE LIBRORVM MINORES.

I.

De *Artis bene scribendi origine et fatis vsque ad A. C. MCCCCLIII.* disputatio *Henr. Godofredi Reichardi* Phil. et Lib. Art. Mag. Lipsiae, 1766. pagg. 44. 4. Quemne credibile est Auctorem huius libelli, si olim a posterorum quoquam hoc argumentum continuetur, atque ad nostra vsque tempora perducatur, inter eos, qui bene scribendi peritia inclaruerint, locum occupaturum esse? Nisi me omnia fallunt, ne vltimus quidem illi dabitur. Nam nec eo scribendi genere vsus est, quod iure postulamus exspectamusque ab homine, qui hanc rem sibi explicandam sumsit, et nihil protulit in libello, quod non in vulgaribns libellis occurreret, puerisque notum esset. Exordium hercle! grauissimum excogitauit. Nam de benignitate diuina loqui incipit, atque locum, vt aiunt, communem de aeternis et futuris bonis non indiserte attexit.

attexit. Per historiam vero artis bene scribendi se intelligere fatetur *historiam disciplinarum omnium, quatenus ad popularem captum, certe eleganter, litteris consignatae sunt, adeoque historiam quasi ingenii humani, in varias veluti formas pro varia ratione hominum, locorum ac temporum redacti* se promittere addit. Egregium profecto argumentum et dignum virorum doctorum ingenio! Quomodo vero satisfecisse his promissis credamus hominem, qui primum Graecos scriptores inde ab Homero omnes recensuit, atque deinde Romanos scriptores eodem ordine commemorauit, laude cuiusque celebrata, doctorumque hominum iudiciis repetitis? Licet vero in his nihil sit, quod non pueri in scholis audiant, parum tamen recordatus est Auctor, historiae artis bene scribendi scriptorem et Romanorum auctorum censorem sat nugacem. ICtorum etiam antiquorum mentionem iniicere debere. Sed de iis nullum dixisse Auctorem verbum, nemini mirum videbitur, qui audiuerit, eundem Hebraeos quoque praeterire, illorumque *libros ad ingenii opera referri posse* negare.

II. *De*

II. *De Ethopoeia comica Aristophanis, libellus. auctore* Io. Gottl. Willamovio, *Gymnas. Thorun. Prof. P. O.* Berolini, typ. Birnstilii, 1766. pagg. 54. 12. Aristophanis defensionem contra Plutarchum iam Frischlinus olim suscepit. Sed non omnino ille Nostro satisfecisse videtur, neque omnem rem exhausisse. Quare et alia addidit iis, quae Frischlinus disputauit, et Battesii inprimis sententiam refutare aggressus est, qui, Aristophanis tempore nondum characterismo comico vllam operam datam esse, putat. Primum igitur in vniuersum monet, non recte facere, qui Aristophanem ad Molierii et Goldonii modulum ac pedem metiantur. Hodie a comico nil spectari aliud, quam vt aliquamdiu spectatores oblectet, instituat, corrigat, virtutisque ideo honorem ab illo commendari, vitiorum turpitudinem notari: olim vero poetam non priuatam tantum vitam exemplis praeceptisque instruere, sed vniuersae quoque reipublicae vtilem operam praestare, de pace et bello, de munerum administratione, de magistratibus libere loqui potuisse. Hinc, an Aristophanes ethopoeiam talem,

lem, qualem Aristoteles a poetis postulat, adhibere debuerit? quaerit. „Cui „enim, pergit, bono ethopoeia esset „fabulae, quae non fictos, sed homi„nes reuera viuentes, cuique notos, suo „ipsorum habitu, vultu, nomine ab hi„strione expressos proponit. Cui bono „esset fabulae, quae non mores imi„tando hunc vel illum hominem priua„tum et obscurum corrigere allaborat, „sed ad integram rempublicam respi„cit, ac in iis versatur, quae multitudini „vniuersae prosunt?" Sed vt pateat, nec vniuersales morum imagines ab Aristophane neglectas esse, eundo per singulas fabulas Auctor ostendit, ethopoeiam illum obseruasse variam, veram, aequabilem, comicam. Haec omnia aptis exemplis copiose et ingeniose ab Auctore illustrantur, cui tamen non omnino assentiri possum. Quomodo ille a se impetrare potuit, vt turpissimam rabiem, qua homo mordacissimus sanctissimum virum, Socratem, aggressus est, defenderet? Quanto melius fuisset, nihil omnino de ethopoeiae veritate historica dicere, quam memoriam integerrimi hominis laedere! Certe ridiculo argumento hanc rem

Auctor

Auctor efficere studuit, qui illud Horatii: *Famam sequere*, huc pertinere credidit. Non debuit Aristophanes aut rumores vulgi de Socrate, viuente tum, spectare, aut conuicia ex inimicorum ore arripere. Cui inuidorum maleuolorumue iudicia probantur, nae ille quam saepissime iniuriam inferet innocentiae. Boni viri est, se ipsum, non alios, audire, contemplari attente cuiusque vitam et examinare, atque tum demum de illo sententiam dicere. Praeterea, si famam sequi debebat Aristophanes, cur non eorum auctoritatem secutus fuit, qui bene de Socrate iudicarent, dissentirentque a maligna turba. Neque enim omnes Athenienses vno ore aut accusabant, aut irridebant Philosophum. De comica etiam Aristophanis hilaritate valde ab Auctore dissentio. Certe mihi nunquam placuit illa iocorum obscoenitas verborumque turpitudo: amo sales, sed natos eo, vt Plutarchus dicit, mari, quod Venerem protulit: illud iocandi genus illiberale, petulans, flagitiosum, spurcum, sordidum, baiulis relinquo, et operariis. Qui vero his versibus Aristophanem laudauit:

Αἱ χάριτες τέμενος τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖ-
ται
Ζητῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους,

profecto non cogitauit Plato, ingenuas; vrbanas et venustas puellas esse Charites, non procaces, impudicas, humiles mulierculas.

III. *De ramo gentium religioso* Disputatio *Benj. Gottl. Laurent. Bodeni*, Art. Mag. et ord. Phil. Assess. 1765. Vitembergae. pagg. 41. 4. Iniuriam faceremus doctissimo Bodeno, si hunc libellum cum iis compararemus, qui plerumque de antiquis ritibus in Germania scribuntur. Sollerter ille fontes inuestigauit, vnde, quae huc pertinerent, haurienda essent: acute et luculenter omnia exposuit: multis veterum scriptorum locis lucem affudit: eleganti praeterea nec raro vrbano dicendi genere vsus est, quod, vt eo lubentius reliqua cognoscamus, efficit. Primum locum obtinet disputatio de origine rami religiosi, quam ad infantiam idololatriae refert, eaque tempora, quibus diis, paucis contentis, res leuissimae offerebantur. Tum vsum rami copiose enarrare incipit, illumque docet adhibitum

fuisse

fuisse in consecrandis et ornandis rebus sacris, in sacrificiis offerendis, in placandis diis atque hominibus, in lustrationibus, in magia, in vaticinando, in laetitia declaranda. Addere poterat Vir Cl. vsum fuisse ramorum in tristitia indicanda apud antiquos populos. Sed forte ideo hanc partem praeteriit, quia iam satis eam Georg. August. Langguthium illustrasse recordatus fuit (*).

IV. *Fl. Mallii Theodori de Metris liber: e vetustis Thesauri Guelpherbytani membranis antea protulerat, nunc ad fidem codd. Parisiensium castigauit, obseruationibus illustrauit, praeterque scriptorum aliquot veterum apospasmatia, Cornelii Nepotis Fragmenta Guelpherbytana cum defensionibus suis adiecit* Iacobus Fridericus Heusinger. Lugduni Batauor. ap. Henr. Mostert. 1766. pagg. 166. 8. Ante decem fere annos libellum Mallii edidit Cl. Heusingerus, cuius egregiam antiquarum litterarum scientiam, indefessumque illarum cultum et amorem et ore

(*) *Antiquitates plantarum feralium* Lipsiae. 1738.

ore et scriptis commendandi latiusque propagandi studium eo tempore merito laudauimus (*). Semper enim virum doctissimum in eorum numero habuimus, qui bene de Graecarum et Latinarum litterarum in Germania studiis promererent. Nunc idem comtior prodit multo et ornatior. Accepit enim Vir Cl. varias lectiones e duobus codicibus Parisiensibus excerptas; quae commendando Mallio non parum profuerunt. Tum symbolae quaedam litterariae, quas codex, qui Mallium exhibet, Guelpherbytanus obtulit, in medium dantur. Maiorem illius partem sibi vindicat Pompeii Grammatici commentarius in vtramque Donati artem. Huius commentarii specimina a Nostro dantur, iudiciumque simul de eo additur. *Multa*, inquit, *vulgaria ac protrita praecepta, futilia etiam, interdum non sine molestis verborum ambagibus inculcantur: quae tamen variis bonae frugis obseruationibus optimorumque auctorum, quorum scripta ad nos haud peruenerunt, testimoniis interiectis compensantur.* Praeter alia in eodem codice apparent Iulii Seueri

p. 59-101.

(*) in *Actis Erudit. Lips.* a. 1759. p. 40.

Seueri de pedibus expoſitio, ab Auctore exſcripta. Haec quaſi altera huius libelli pars eſt. Tertia ad me pertinet, p. 193-
Ediderat Vir Cl. a. 1759. duo Cornelii 166.
Nepotis fragmenta, nondum antea vulgata. De his ego in *Actis Eruditor. Lipſiens.* (*) ita ad viros doctos retuli, vt ea non ſatis Nepotis elegantia digna eſſe dicerem, aliaque proferrem, quibus me impediri faterer, quo minus illa venuſtiſſimo ſcriptori tribuerem. Contra hanc opinionem noſtram poſteaquam in alio libello (†) Vir Cl. non pauca monuerat, operae me pretium facturum eſſe exiſtimaui, ſi copioſius meam ſententiam defenderem. Feci hoc in Miſcellaneis Criticis (††), quae Traiecti Batauorum prodierunt. Quae ibi a me dicta ſunt, nunc nouis argumentis diluere ſtudet Vir Cl. atque ita ſtudet, vt, vtrum eruditionem viri et doctrinam magis laudem, an humanitatem egregiam amem, neſciam. Tam modeſte enim cauſam ſuam egit, tam amice mecum diſputauit, vt, niſi aliam vtilitatem, hanc certe praeſtet haec controuerſia, vt alii Critici hinc intelligant,

 eſſe

(*) eod. an. *menſ. Februar.*
(†) a. 1760. (††) cap. XI.

esse etiam amicae, placidae, et humanae dissensioni locum. Equidem iis, quae Vir doctissimus dixit, nihil nunc addam. Copiam enim fecit omnibus, qui has litteras curant, vtriusque partis sententiam examinandi, argumentaque, quibus suam quisque opinionem firmare studuit, comparandi. Hos igitur ad causam cognoscendam eo lubentius inuito, quo certius profiteri licet, nullis causam agi clamoribus, nullis conuiciis.

V. *Sophoclis Aiax cum scholiis tam antiquis quam nouis et translatione soluta metris ac reuincta atque indicibus rerum verborumque editus* ab Io. Gottfrid Hoerio. Lipsiae ap. Hilscher. 1766. Alph. 1. 8. Pertinere videtur huius Tragoediae Editor ad infelicem plagosorum Orbiliorum turbam, qui et parum ingenii a natura nacti sunt, et quantulumcunque nacti sint, Graecorum et Latinorum verborum copia obruerunt atque exstinxerunt. Vbique apparent vestigia obscurae diligentiae, quae sententias locosque, vt aiunt rhetores, communes ex antiquis scriptoribus colligit, iisque congerendis, et, vbi

occasio

occaſio datur, expromendis mirifice gaudet. Hoc ineptiarum ſtudium in iis apparet, qui nil, niſi vetera amant, vbique maiorum imitationem iactant, ſcholaque, quaſi ergaſtulo, incluſi, quid toto in reliquo orbe agatur, neſciunt. Quid igitur miremur, Brumoium refutari ex Prouerb. I, 26. (p. 81.), Dauidem et Salomonem cauſam ſententiarum Sophoclearum reddere (p. 149.), eorundemque auctoritate Sophoclem et Euripidem refutari (p. 243.)? (compara p. 203. 70. et alibi.) aut quomodo indignemur, puritatem ſtili Noui Teſtamenti ab interprete Sophoclis ita defendi, vt Vitebergenſem magiſtrum decet? — Praeter ſcholia antiqua additae ſunt Camerarii et Stolbergii animaduerſiones. Verſio Tragoediae poetica Scaligerum habet auctorem. Prodiit primum editio Hoeriana iam ante plures annos. Sed haec noua neque emendatior illa eſt, neque auctior.

VI. *Iſocratis panegyricus: recenſuit et animaduerſionibus illuſtrauit Sam. Frid. Morus.* Lipſiae, ap. Weidmanni hered. et Reich. 1766. pl. 10. 8. Subiecit orationi Graecae Cl. Morus

obſeruationes, in quibus et de vera locorum lectione diſputat, nec pauca profert ex hiſtoria; quibus panegyricus hic illuſtratur. De his ipſe modeſte ſentire videtur, nec iis multum tribuere: „*Si* „*nimius interdum videar*, inquit, *hoc* „*velim cogitent lectores, non doctis* „*hominibus a me ſcriptum eſſe, quo*„*rum eruditioni, quod ſaepe dicen*„*dum eſt, nec aetas mea, nec ingenium* „*vllo modo prodeſſe poteſt, ſed iis, qui* „*non omnia perſpecta haberent.*" Sed obſeruauimus tamen in his quoque, quae

Indocti diſcant et ament meminiſſe periti.

Praeter indicem, quo verborum ſignificatus explicantur, praefixa eſt coniectura de tempore, quo editus videtur panegyricus. Eandem ſi rationem teneat Auctor, ſpero, non illubenter viros doctos ab illo accepturos eſſe totius Iſocratis editionem, quam ſe alio tempore perfecturum eſſe pollicetur. Quod vt eo melius ab illo praeſtari poſſit, nihil ei magis, quam bonam librororum manu exaratorum copiam optamus.

CON-

CONSPECTVS LIBRORVM
QVORVM CENSVRAE
VOLVMINIS III. PARTE III.
CONTINENTVR.

COR-

CORRIGENDA IN P. II.

p. 108. l. 9. l. *unice*. p. 124. l. penult. l. *Milliar*. pr. *Millior*. p. 126. l. penult. l. *Venutum*. p. 130. l. 7. l. *in qua* pr. *qui*. p. 134. lin. antepen. l. L. II. pr. T. II. p. 136. l. 2. l. *Epicurei*. l. 3. l. *hae*. p. 137. l. 1. *pharetra*. p. 143. l. 11. l. *videantur*. p. 146. l. antep. l. *depulsis*. p. 153. l. 7. dele *non*. p. 160. l. 9. l. *tanta* pr. *ea*. p. 191. l. 14. l. *est* pr. *et : medullas*. p. 222. l. 14. dele *illius*. p. 226. l. 12. l. *eique* pr. *cuique*. p. 228. l. 23. l. *tyrocinia vero posuit*.



ACTA
LITTERARIA.

SCRIPSIT
CHRIST. ADOLPHVS KLOTZIVS.

— *Librum, si malus est, nequeo laudare.*
IVVENAL.



VOLVMINIS III. PARS IV.

ALTENBVRGI
EX OFFICINA RICHTERIA.
CIↃ IↃ CC LXVI.





I.

Georg. Christ. Gebaueri, I. C. et Antecess. primar. Vestigia Iuris Germanici antiquissima in C. Cornelii Taciti Germania obuia, siue Dissertationes XXII. in varia aurei illius libelli loca cum nonnullis similis argumenti: cuncta iusto ordine collocata et partim locupletius partim nunc primum edita.

Gottingae, sumt. vid. Vandenhoeck. 1766. Alph. 2. pl. 18. 8.

Paullo curiosius, quam solemus alias, hunc librum euoluimus, in quo eorum, quae Tacitus de Germaniae antiquae moribus memoriae prodidit, explicationem nos inuenturos esse sperauimus talem, qualem auctoris celeberrimi eruditio vnice praestare posse videbatur. Nam et lectione diuturna ille hunc libellum contriuit familiarita-

temque quasi contraxit cum Tacito, vt ipse in hoc libro non semel profitetur, et ab ingenio doctrinaque viri eorum, quae perperam a Romano de Germanis narrata sunt, iudicium exspectauimus subtile et verum. Sed nimium vbique tribuere videtur *Gebauerus* Tacito suo, cuius de bona fide nunquam subdubitat, cuiusque omnia
p. 523. verba verissima censet. Inde non solum eum *certissimum auctorem* appellat, sed nec monuit quidquam de eorum sententiis, qui, vbique Tacito fidem habendam esse, nec immerito nec inepte negauerunt. Quemadmodum enim Romanos, quos aliorum virtutibus inuidisse constat, ridicula nonnunquam de barbaris prodere, quam eos in societatem vllius laudis admittere maluisse recte Keyslerus dicit, (*) eosque inimicissimo erga Germaniam, diutius reliquo orbe victricibus, vt credebant, vbique armis resistentem, animo fuisse, clarissime multis argumentis ostendi potest, vt taceamus, Romanos indolem interiorem Germaniae non satis cognitam habuisse, quo serius peruenerant et sermonis ignari, et coniecturis

(*) in *Antiqui. Septentr.* p. 133.

cturis omnia intelligi posse arbitrati (*), ita nec Tacitus obscura odii Romani erga Germanos vestigia in isto libello reliquit (**), et, cum ab aliis in errorem inductus, tum ipse indulgens animo suo, multa de iis narrauit falsa (***). Nam et multa sibi ab aliis referri passus est, cum ipse interiorem Germaniam non accessisset, et ex moribus eorum, qui finibus Romanis proximi essent, coniecturam fecit de omnibus, et, comparatione morum perpetua inter Romanos atque Germanos instituta, magis in illos Satyram scribere, quam horum fidelem imaginem reddere, et commemoratione eorum, quae a *barbaris* recte fieri censeret, popularibus suis pudorem incutere voluisse videtur: id quod praeter alios bene intellexit Christ. Gothofr. Hofmannus (†), cuius verba, licet parum Latina, sed verissima tamen, hic repetemus: *Tacitum quoque suspectum red-*

(*) v. Bünauii *Hist. Imp. Germ. L. I. p.* 49 *et* 66.

(**) v. c. in *Germ.* 33. *maneat quaeso &c.*

(***) conf. Barth. Christ. Richardi diss. *de dubia et incerta Taciti fide.* Ienae 1719.

(†) in *specim. coniectur. de orig. et natur. leg. Germ. antiqu. c.* 2. *p.* 12.

reddere videtur intentio, quam in conficiendo hoc opere habuisse videtur, quippe quod comparationem inter Romanorum et Germanorum mores instituere voluerit. hic enim scriptor saepius in suis operibus odium erga statum reipublicae Romanae prodit: hinc videtur perstringere voluisse Romanorum viuendi rationem, dum barbarorum mores recenset et laudat: proinde ab omni adfectu eum liberum fuisse vix credimus. Quae cum ita sint, equidem nunquam, ex Taciti libello certam maiorum nostrorum cognitionem hauriri posse, mihi persuadebo, atque ab eo, qui me in illius verba iurare cogat, iure quodam meo mihi postulare videbor, vt Taciti fidem bonam, integram, spectatam esse, doceat. Id quod inprimis a *Gebauero* fieri debebat, qui nunquam ab illo dissentire audet, neminemque Tacito luculentius veriusque de maiorum nostrorum moribus exposuisse credit. Quare eo aegrius ferimus, hanc disputationem detrectasse Virum Cl. quo lubentius existimamus, eum non sine caussa idonea Taciti auctoritatem secutum esse.

Quos igitur hoc volumen complectitur, libellos recensebimus, quorum

rum plurima pars iam alio tempore apparuit, nunc vero et aucta aliis et emendata diligenter prodit.

I. *de Regio apud Germanos nomine.* Hoc libello explicaturum se esse profitetur verba Taciti: *Reges ex nobilitate sumunt* (de Germ. mor. c. 7.): Sed nos fere nil inuenimus aliud, quam disputationem de origine verbi *Koenig*, de qua Wachteri sententiae Auctor assentitur. Illa facile carebit lectorum melior pars. Quod etiam Vir Cl. in loco Taciti (Ann. IV. 33.): *delecta ex his et constituta reipublicae forma*, corrigere audet: *exasciata*; nec necessaria est haec mutatio, et verbum hoc rarius minime loco huic conuenit. Verbum enim *constituta* sententiam bene exprimit, vt periti intelligent, qui illam Plautinam vocem nec sensum loci, nec linguae rationem admittere animaduertent. II. *de regia apud Germanos veteres potestate.* In origine potestatis regiae *diuinitatis simulacrum aliquod* apparere putat Vir Cl. Nobis concionatoris magis quam Philosophi orationem decere videntur verba haec: — *Quid humanae naturae conuenientius* p. 21. *potest dici; quam, vt vni Deo subiecta*

 sunt

ſunt omnia, ita in multitudine, quae peculiaris gentis formam induit, uni, communis ſalutis ſtudioſo, pulcra imitatione parere debere omnes? A Gebauero acutiora omnes exſpectant. Credo

p. 23. etiam multa dici poſſe contra illam Auctoris ſententiam: *Cum omnes illas gentes, quas Aborigenes vocare ſoleo, merito habeantur generis humani in Orientis partibus poſt diluuium reparati totidem veluti coloniae, mihi quidem veriſimillimum videtur, praeter paternam herilemque poteſtatem imperium unius fuiſſe in ciuitatibus recens conditis antiquiſſimum maximeque naturale.* Sed apud Germanos antiquos regiam poteſtatem cum libertate populari pulchro vinculo coniunctam fuiſſe dicit, nec levia fuiſſe regii imperii pro diuerſo populorum ingenio diſcrimina: ſeptentrionales gentes auſtralibus illius fuiſſe patientiores. Veſtigia deinde quaerit regiae poteſtatis apud Germanos in ſacris, in comitiis, in caſtris, tranſitque ad decora regum pacis tempore, ad comitatum, ad reditus, ex opibus priuatis, donis exterarum gentium, collationibus ſubditorum, mulctis, manubiis collectos. III. *de regia apud Germanos veteres*

veteres successione. Placuit ex sententia Nostri illis forma successionis mixta ex vtroque genere, quod iure sanguinis et electionis componitur. Hinc successionem veluti temperatam illi constauerunt liberique suffragii ius cum perpetua comique sanguinis regii reuerentia copulauerunt. Nobilitas e qua reges sumti, est illa prima et praecipua, patre, auo, abauis, atauisque edita regibus. IV. de *nobilitate veterum Germanorum.* Hic quid opus fuit originem verbi *nobilis* explicare illudque deducere a *noui:* vnde factum fuerit *novibilis* tum *nobilis*? Nobilitas Germanorum fuit vel sacra vel profana. Illa gaudebant sacerdotes, qui ministri erant deorum, interpretes auspiciorum, in bello capitales iudices, signorum sacrorum custodes et latores, in pace arbitri comitiales: hanc conciliauit genus et virtus. Addita est huic dissertationi *de loco Plautino in milite glorioso* (III. 1. 127.) *disquisitio.* V. *de comitatu principum Germanicorum.* Verbose explicitis Taciti verbis, officia eiusmodi comitatus, commoda comitum, et fructus huius moris enarrantur. Fuisse dicit comitatum iuuentuti Germanicae pro schola,

la, in qua omne obsequium addisceret, eo compagem ciuitatum liberrimarum firmatam esse, equitatus Germanici praecipuum robur in eo fuisse et ducibus certissimum praesidium, nec postremam serae iuuentum veneris caussam inde esse repetendam. Adduntur quaedam de comitatu principum Gallicorum et Celtiberorum, vestigiaque comitatus apud Alemannos seculo post C. N. quarto quaeruntur. VI. *de Comitiis veterum Germanorum, quae Tacitus concilia vocat.* Illa fuisse et maiora et minora, atque diuersa negotia pro diuersitate comitiorum tractata esse: fuisse eadem aut stata aut repentina. Tum de loco comitiali, de tempore, de personis et negotiis comitialibus, de omni denique agundae rei ordine et modo agitur. VII. *de dote veterum Germanorum.* Castitate foeminarum Germanicarum celebrata et continentia virorum, dotis Romanae indolem explicat Auctor atque ad Germanos transit, apud quos dotem vxori maritus obtulit. Hoc inde factum fuisse censet, quia deesset foeminis, ab omni haereditate exclusis, quod afferrent, totique sexui ab optimis moribus cautum esset,

com-

comparatque tempora alia cum priscis, quibus contigit magna rerum mutatio. Adiunctus est huic dissertationi *Excursus de nomine Barbarus*, in quo tamen nihil nos legere meminimus, quod non satis cuique notum esset, aut in vulgaribus libellis inueniretur. VIII. *de ritu nuptiarum veterum Germanorum.* Inprimis agit de muneribus nuptialibus, bobus, frenato equo, armis, atque de symbolorum matrimonialium arcano sensu. IX. *de potestate patria veterum Germanorum.* Primo loco exponit de studio, quod in procreanda educandaque sobole Germani posuerunt: educationem maternam paternamque commemorat: recte educatorum emancipationem per arma describit: progreditur ad emancipatorum assumtionem in comitatum alicuius principis, et ad dimissorum e comitatu rei familiaris curam, saluo interea parentum imperio militari et pietate vsque ad sepulchrum manente. Huic quoque dissertationi accedit *Excursus de orbitate eiusque pretiis apud Romanos.* Omnis vel coelibis, vel mariti, vel vidui orbitas, quo in pretio esset, aut diuitias aut senectutem comites haberet, necesse fuit.

Illae

Illae hominum cupiditatem excitabant, haec illarum accipiendarum spem faciebat. Hinc orbum et diuitem senem obseruabant cognati, sectabantur haereditatis cupiditate et spe quamplurimi, qui captandorum testamentorum artem callerent, quorumque spem multis modis eludebant illi. Praeterimus alia, quae diligenti veterum auctorum lectori ignota esse nequeunt. Nec dicimus quidquam de *Meditatione*, quae addita est, *Etymologica de agnatorum et cognatorum nominibus Germanicis*, *Schwertmagen et Spilmagen*. Initium libelli est: *Nuptias esse rem iucunditatis plenissimam et consensus hominum firmat, et externa earum species designat*. Quare dicamus bis terue, *Hymen o Hymenaee!* et pergamus. Huic subiuncta est *Mantissa de nuditate corporum maioribus nostris temere afficta*. Tegumen omnibus fuisse docet vel sagum, vel vestem, vel lineum amictum, vel etiam superiorem vestitum, absque manicis tamen, nudis feminarum brachiis, lacertisque et proxima corporis parte. X. *de potestate dominica veterum Germanorum*. Quod inter potestatem patriam et dominicam est, discrimen exponitur: quos

Ger-

Germani ex suis seruis ceperint fructus, docetur: dominica potestas per partes explicatur. Si auctor dicit, *in iuris naturalis praeceptis nihil reperiri, quod servos fieri haberiue vetet*, eos tantummodo illum credo in animo habuisse, qui mercede certa conducti dominis operam suam locant, longeque diuersi sunt ab iis, quos Romani seruos appellauerunt. Certe Turcicam et Africanam seruitutem, quamuis illius acerbitatem mitigare studeat auctor, humanitati et illius legibus repugnare quis neget? XI. *de libertinitate veterum Germanorum.* In hoc libello Auctor docet duram apud Romanos fuisse seruitutem: ea exemtos multum supra seruos fuisse: leuem illam apud Germanos, nec libertos multum supra seruos: liberti Romani in domo patroni non leue fuisse momentum ob multas caussas, eaque omnia a moribus Germanorum fuisse aliena: seruum manumissum etiam ciuitate Germanica fuisse donatum: manumissiones a Germanis non vt apud Quirites fuisse patratas, interuenisse tamen aliquid publici ritus. Ostendit etiam exemplis aliquot, Romae potentiam non exiguam libertos adeptos esse, idemque apud Germaniae gentes quas-

quasdam accidisse. XII. *de alea et fide veterum Germanorum.* Minus nobis placuerunt, quae de vetita legibus Romanis alea Auctor dicit, quaeque ad defensionem Germanorum, hoc qui ludo delectabantur, profert. Nec votum Viri Cl. meum facio: *Mallem, ante omnia, vt Tacitus posteritatis memor aleae Germanorum quandam adiecisset descriptionem.* Aleam Graecorum et Romanorum ideo curamus, quia haec scientia antiquorum auctorum lectorem iuuat. Sed, si accuratissime sciamus, quomodo tecti ferarum pellibus maiores nostri fritillis vsi sint, quem haec eruditio reipublicae, quem litteris fructum afferet? Adiunctae sunt *Vindiciae verborum Taciti German. cap. XXIV. aduersus D. C. A. Heumanni vindicationem honoris veterum Germanorum, quibus librarii morem summe barbarum affinxerint.* Heumannus locum Taciti de alea non recte interpretatus est. XIII. *de iure successionum apud veteres Germanos.* Successionem omnem, etiam legitimam non esse iuris naturalis, sed mere arbitrarii: testamentum Quiritium merum esse iuris ciuilis inuentum, omnibus

genti-

gentibus, quae iure naturali domesticisque institutis vnice regebantur, plane ignotum, ignoratumque olim Germanis. XIV. *de iudiciis veterum Germanorum.* Iudicandi potestatem non vni, sed pluribus iunctim commissam fuisse, eosque in comitiis ex nobilitate lectos: iudices assessores plures numero, neutiquam vero centenos fuisse, vt vulgo putant. XV. *de re iudiciaria militari veterum Germanorum.* ad iudicia publicae auctoritatis referenda esse, quae de militantibus, si quid in exercitu, in castris, in acie peccauerant, habebantur. Delicta militaria fuisse amissionem scuti, et comitis, principi suo superstitis, e praelio reditum. XVI. *de iudiciis capitalibus veterum Germanorum.* Capitale fuit et scelus et flagitium. Illud committebant proditores et transfugae, hoc, qui ignaui et imbelles deprehensi essent. Copiosissime inprimis de istis Taciti verbis (c. 13.) *corpore infames mergunt* disputat. His verbis putant nonnulli Tacitum indicasse, feminineo morbo et mollitie corporis infames fuisse Germanorum quosdam, alii, famae maiorum vt consulerent, *torpore* legere maluerunt. quam

con-

coniecturam licet multis verbis Noster laudet et probet, ipse tamen *corpore informes* coniicit legendum esse. Sed, vt verum fatear, non censeo omnium codicum consentientem scripturam mutari debere, nec tam, quid maioribus nostris honorificum sit, sed quid Tacitus de iis narrauerit, spectandum esse arbitror. Nonne etiam eo iam satis excusati sunt Germani, quod hoc scelus seuera poena cohibuerint? Non cogitasse videtur Vir Cl. multo durius esse, multo minus conuenire populo, quem dicit, nescio an recte, *omnium regnatorem Deum purissimo cultu esse veneratum*, si dixeris innocentes infantes misere ab iis fuisse necatos, quam si fassus fueris, non ignotum fuisse iis flagitium, quod tamen totum populum detestatum esse, poenae seueritas satis ostendat. Praetereo alia, quae in mentem veniunt. XVII. *de iudiciis non capitalibus.* Indicatur primum forum, quod non fuit aliud, quam vbi de maioribus delictis quaestio habebatur i. e. vniuersae gentis comitia: tum forma iudicii, cuius initium fiebat ab accusatione: denique exitus iudicii, quem imponebat multa conuictorum pecuaria,

ria, quae aut regi, vel ciuitati, aut laeso debebatur. XVIII. *de homicidio, delicto apud veteres Germanos non capitali, eiusque multa Weregeldo.* Erat ex Nostri sententia eiusmodi contentionis facies et ratio talis. Exoriebatur subito rixa: alter se ab altero laesum existimabat: ob illatam iniuriam iure agere indecorum censebant: omnis igitur spes in armis: res certamine finiebatur. Caede facta, haeres occisi accusabat homicidam apud concilium gentis et a confesso vel conuicto multam nanciscebatur. Videtur etiam hic, vt saepius nimius maiorum amor Virum Cl. decepisse, atque grauissimum Themidis sacerdotem commouisse, vt, quod in omnibus aliis certe damnat, iis condonaret crimen. Equidem totum hoc negotium barbarum existimo, nec credo; Viri Cl. homicidia per duellum facta a caede, innoxii per auaritiam et fraudem patrata, distinguentis, defensionem multum prodesse Germanis antiquis. Quicunque bonis aut legibus aut moribus floruerunt, populi vindictam priuatam ignorauerunt. Abhorruerunt ab illa Graecia et Roma, detestatique sunt barbarum morem Persae, Chinen-

ses, omnes, qui aliqua humanitate culti essent (*). Potestne vir vere fortis, *inducorum* existimare iniuriam illatam iure persequi? id est, legibus litorem gerere? Barbari est, est homicidiae, iudicis auctoritate spreta, hominem provocare illique vim et manus inferre etc. XIX. *de paucitate adulteriorum apud veteres Germanos.* Adulterorum poena forte fuit mulcta; adulteriorum paucitas inde euenit, quia vxores Germanicae ignorabant spectacula, conuiuia irritantia, et litterarum amatoriarum secreta. XX. *de supplicio adulterarum apud veteres Germanos.* Initium supplicii erat probrosa decaluatio (**), sequebatur nudatio corporis, accedebat e domo mariti violenta expulsio, finiebatur res verberatione. XXI. *de flagitiis apud veteres Germanos.* Supra de militaribus exposuit Auctor, hic de paganis flagitiis agit, siue de probrosis facinoribus domi commissis. Talia erant:

nume-

(*) confer librum: *Della Scienza chiamata Cavalleresca libri tre. oper. del Sign. Marchese Scipione Maffei in Trento.* 1717.

(**) confer Cl. Hommelii *Iurisprudent. Numismat. illustratam.* L. I. Monument. XV.

numerum liberorum finire, quenquam ex agnatis necare, pudicitiam publicare. Hinc Auctor etiam de iudiciis, inferioribus, paganis et vicanis disputat, adspergitque nonnulla de mercatura et mercibus Germanorum. XXII. *de iure sacrorum inter veteres Germanos.* Complectitur hic libellus omnem Germanorum religionem, in qua explicanda, reiectis narrationibus Caesaris, solum Tacitum Noster sequitur. Regnatorem dicit omnium verum deum vnum Germanos veneratos esse, quorum de religione praeclare sentit: nulla deorum eos habuisse simulacra: male a quibusdam iis peregrinam superstitionem tribui: Mercurium non Germanorum, sed Gallorum fuisse numen: Herculem, Martem, Isidem minime eosdem coluisse: Tacitum, haec narrantem, aliena fide scripsisse, nec eiusdem narrationi de diis deabusque domesticis fidem habendam esse. Nomen vnius et summi dei eruere Noster conatur e loco Taciti (Germ. c. 2.) *celebrant carminibus antiquis* Tuisconem *deum terra editum*, *et filium Mannum, originem gentis conditoresque.* sed indulsit procul dubio nimis ingenio suo

 Auctor,

Auctor, cuius sententiam paucis repetemus. nam non quotidie talia audiuntur. „Post diuturnas, inquit, iteratasque meditationes in hanc descendi „sententiam, illud Tuisco non esse „vnum, sed duo nomina, non adiectiua „sed substantiua, non propria, sed appellatiua, scripsisseque Tacitum a Germanis probe edoctum: *Tutiscotem*. „Altera horum vocum est *Thiud*, *Theod*, „*Deod*, *Diet*, *Duit*, gens, populus, „natio: altera vox pariter substantiua „et appellatiua est *Got*, vel *Gott*, antiquissimum vel venerandum Dei vnius „nomen". Hoc igitur verbo *gentis deum* indicari postquam variis argumentis ostendere studuit Vir Cl. *Mannum citra controuersiam* putat esse *Adamum*. Operosius talia refutare vix operae pretium est, sed ea viro eruditissimo in mentem venisse molestum est. Videtur profecto ille Taciti locus virorum doctorum ingenio famaeque parum favere. Reimannus certe (*) ita illa verba disposuit:

Tuisto origo gentis

Deus terra editus,

Tuisco-

(*) in Histor. literar. German. L. II. p. 64.

Tuiſtonis filius Mannus
Conditor noſtrae gentis.

putatque haec verba particulam eſſe carminis, quod Germani, praelium contra Romanos ingreſſi, canerent. Certe illis verbis, quae Tacitus, ſermonis Germanorum ignarus, illi peruertiſſe videtur, primum ſenſum priſcamque formam reddere auſus eſt. Scripſimus infra febriculoſi hominis ſomnia (*). Talia refutent, qui otio abundent, aut qui nugas ſeria refutatione dignas exiſtiment. Reliqua huius libelli pertinent ad fatidicas virgines, ad ſacerdotes, lucos et nemora, quibus illi praeerant, ſacrificia, ad ſortes, auſpicia, aliosque ritus. Hoc loco inprimis id agit *Gebauerus*, vt Germanos hoſtiis humanis litaſſe neget. Sed perlecta diſputatione Viri Cl. iis potius, quae Vir Cl. Godofredus Schutzius (**) erudite de hoc argumento ſcripſit, argumentis omni dubitatione maioribus vſus, quam

(*) *Do iß de arge Kutz*
De ubs veroedet düt Huß.
Do is ſchone vele Mans
Kan dei der Knaſtern ganz.

(**) In libro: *de cruentis Germanorum gentilium victimis humanis.* (Lipſ. 1743.)

Auctori assentiri malo. Nam, quantum equidem video, istius crudelitatis crimine minime liberandi sunt maiores nostri. Satanae atram personam his tragoediis
p. 986. immiscuisse *Gebauerum* miror. „ Si „ *Satanae* ea in vniuersam Germaniam „ fuit vis atque potestas, vt humanis vi„ ctimis deorum praecipuum placandum, „ hominem numini publice caedendum, „ esse persuaserit, dubio procul ille spiri„ tus, ab origine et mendax et homicida „ nobilem illam de regnatore omnium „ Deo sententiam a radicibus euertisset, „ et sibi ipsi humanae carnis nidorem of„ ferri imperasset etc." Bene habet! succurrit, quod respondeamus, non exclusa semel in scenam producta Satanae persona. *Daemones*, inquit Lactantius (*) *humanas excogitarunt hostias ipsi hostes humani generis, vt quam multas deuorarent animas.* Quid Cl. *Gebauerus* huic argumento respondere possit, non videmus. — Multis etiam id agit Vir Cl. vt Isiacae superstitionis expertes fuisse dicat Germanos. Nolo repetere, quae Magnus Daniel Omeisius (**) de

(*) *Instit. Diuin.* L. II. c. 17.
(**) *de Germanorum veterum Theologia et religione pagana.* p. 15. sequ.

de hac re disputatum. Equidem vero credo, qui considerauerit ea, quae Vir Cl. Io. Gottl. Boehmius (*) docte et eleganter de Isiacis Sueuorum sacris scripsit, qui legerit, ea non solum testimoniis scriptorum probari, sed firmari quoque Isidis pluribus aliisque monimentis cum in Silesiae oris, tum aliis in Germaniae regionibus effossis, illius Auctoris sententiae minime assensurum esse. Qui supra in Germania Adamum inuenit, eum miror a Vossio (**) recessisse, cui Isis Euae imaginem adumbrare videbatur.

Commemorato hoc argumento, addemus iudicium, quod de ipso nobis ferendum esse videtur. Deprehendimus vbique magnae diligentiae eruditionisque vestigia. Copiosae lectionis accurataeque veteris memoriae cognitionis luculentissima documenta quilibet horum libellorum praebet. Vtitur etiam Vir Cl. dicendi genere sat puro et Latino. Sed nec desunt, quae plurimae parti lectorum, nisi me omnia fallunt, displiceant. Primum, vt, quae iam notauimus aliquoties, taceamus, nos offen-

 dit

(*) *de Iside Sueuis olim culta.* Lips. 1748.
(**) *de Idololatria.* L. II. c. 38.

dit verbosa rerum, quae ad argumentum propositum nihil faciunt, explicatio, orta illa quidem ex cupiditate Auctoris, eruditionis copias expromendi, sed molesta eadem tamen, p. 124. parumque vtilis. Vbi *bellator equus* a Tacito commemoratur, equorum celeberrimorum historia inde ab Alexandri Bucephalo vsque ad equum Bernhardi Vinariensis ducis contexitur. Quis exspectasset in hoc libro laudes et exempla p. 281. foeminarum nobilium, quae suis vberibus partum aluerunt, nec eum ancillis ac nutricibus delegare voluerunt? Praeterimus exempla alia, quae quiuis facile inueniet. Non iucundior nobis videtur rerum cuiuis notissimarum repetitio, qua Auctor valde delectari videtur. Multa fuerunt iis temporibus, in quae iuuenilis Auctoris aetas incidit obscura, alia nondum satis explicata, quae nemo nunc nescit, atque ignorat. Hinc fortasse accidit, vt Vir Cl. repeteret verbosius multa, quam necesse esset, nec recordaretur, nostram aetatem non aegre istis omnibus carere. Sic, vt pauca tantummodo exempla adferamus, vbi Tacitus comites apud principem epulatos esse narrat, Noster

addit:

addit: *Epulae fuere largi apparatus,* p. 136.
vt non modo nemini quicquam vnquam deesset, sed, omnibus bene pastis potisque, etiam superesset. De potu Tacitus nihil addit, sed nec opus erat. Quales forent epulae absque potu? Germanis maxime conuiuantibus. Alio loco p. 583.
copiosa explicatione verbum, *iudicare,* putauit indigere, immo locum, vt aiunt, communem de auri argentique contemtu attexuit. Denique nobis parum pro- p. 526.
batur, quod Auctor saepe ostendit, origines verborum eruendi studium, e superioris seculi moribus tractum, sed nec vtile, nec iucundum. Vide, vt pau- p. 149.
ca indicemus, quae de origine verbo- p. 151.
rum Soldurii et Ambacti disputet.

II.

Πορφυριου περι του εν τῃ Οδυσσειᾳ των Νυμφων αντρου. Porphyrius de antro Nympharum, Graece cum Latina L. Holstenii versione Graeca ad fidem editionum restituit, versionem C. Gesneri et animaduersiones suas adiecit *R. M. van Goens*, Traiectinus.

Traiecti ad Rhenum sumtu Abr. Paddenburgii 1765. 4.

Est locus Homeri in decimo tertio Odysseae libro (*) de antro Nympharum in insula Ithaca, satis ille ob versuum elegantiam notus probatusque intelligentibus harum rerum arbitris. His accensendus vix videtur Porphyrius, Philosophus Platonicus, de quo, post Holstenii operam, non necesse est quidquam dicere. Nam sicut complures veterum Grammaticorum sub iis, quae simpliciter poeta narrauit, mysteria multa latere totamque de rerum natura doctrinam absconditam esse, sibi aliisque persuadere voluerunt, allegoricaeque interpretationis exempla in vulgus dede-

runt

(*) a. v. 102. sequ.

runt pessime, ita etiam Porphyrius nubes et inania captare, quam tritam et rectam boni interpretis viam inire maluit. Hic totum illud antrum sapientia vetere plenum arbitratus, vt Motteus in Hexaemero nequitiis illud scatere censuit, duabus antri portis ad muliebre genus plus quam Gallica elegantia translatis, ita sententias reconditas de rerum natura, de mundo, de animarum generatione, et sexcentis aliis rebus e versibus Homeri pulcherrimis elicuit, libellumque edidit his argutiis ineptiisque plenum. Quem dum ad nostram aetatem, quae illo facillime carere poterat, vt lubenter olim carebit posteritas tot libellis, quibus multi Philosophorum nostrorum, quibus cur Porphyrium multo sapientiorem fuisse dicamus, causa non est, ingenia iuuenum exercent floremque illorum exstinguunt, illum igitur ad nos dum peruenisse recordamur, non possumus non fortunae iniquitatem accusare, qua factum est, vt, tot praeclaris antiquorum ingeniorum monimentis perditis seruarentur libelli, quorum e lectione nullum alium fructum capere licet, quam vt olim etiam Philosophos egregie ineptiisse

ptiisse discamus. Hanc vero scientiam cur tot nitidis chartis perditis, tot bonis horis in libello hocce explicando refutandoque consumtis, nobis compararemus, cum quotidie illustria admodum exempla in oculos incurrant? Illum igitur libellum Cl. *Goensius* edendum sibi sumsit ornandumque ingenio suo et eruditionis variae copiis. Atque etiam licet lubenter fateamur, multum Porphyrium debere *Goensio*, qui nihil omisit, quod alliceret lectores, quamplurima protulit, quorum causa non poenitebit hunc librum emisse, effecitque suo labore, vt libellus, propria virtute destitutus, in manus hominum aliena ope sustentatus veniret, erunt tamen fortasse, qui, libri argumento perspecto, de *Goensio* idem dicendum esse indicent, quod

praef. p. 19. ipse de Barnesio dicit: *illum consilium cepisse, grandem, qua iam tum eruditus orbis premebatur, inutilium librorum molem noua Homeri editione augendi.*

p. 15-33. In praefatione auctor exponit de editionibus huius libelli, atque hinc discimus saepius eum recusum fuisse. qui honor praeter meritum aliis quoque habitus fuit multis, qui nullam aliam haberent commendationem, praeter eam, quam

anti-

antiquitas praestat. Sequitur *Disserta-* p. 1-36.
tio Homerica ad Porphyrium, in qua id
agit Auctor, vt Philosophi male inge-
niosi nugas refutet locumque Homeri-
cum rectius interpretetur. In cap. I.
nota quaedam repetit Auctor de fine
poeseos, de summa, quam de Home-
ro olim omnes habuerunt, opinione,
de allegorica interpretatione Homeri,
de nimiis illius vituperatoribus laudato-
ribusque. Haec omnia cuiuis notissi-
ma et vbique obuia cur non omittere
maluerit Auctor, caussam video nullam.
quis etiam Porphyrii ineptias seria re-
futatione dignas esse censebit? Certe
omittere poterat censuram sermonum
ab Hectore et Archilocho cum equis in-
stitutorum, quos *absurdiusculos* appel-
lat. Nemo enim hoc nomine repre- p. 11.
hendet Homerum, qui, quae eleganter
de hac re disputauit Du-Bosius, (*)
legerit. In capite altero ipsum antri
situm in Ithacensi portu Auctor descri-
bit, formamque illius per singulas partes
eundo ita commemorat, vt ostendat,
nihil esse in versibus istis, quod leges
verisimilitudinis excedat, omnia pro-
prie

(*) v. *Reflexions sur la poesie & sur la peinture*. P. II. c. 37.

prie accipi et ex vſu antiquitatis explicari debere. Tota vero ſententia huc
p. 22. redit: „ deſcriptionem Homericam „ figmentorum loco habendam non „ eſſe; ſed reuera eiusmodi antrum eo „ tempore in portu Ithacenſi exſtitiſſe, „ quod dein vitio temporis mutatoque „ ipſo tractu priſtinam primum formam „ amiſerit, dein integrum vel terra op„ pletum vel prorſus deſtructum ac di„ rutum fuerit." Vltimo loco comparatur Virgiliana in Aeneid. L. I. portus deſcriptio cum Homericis, vnde illa expreſſa eſt, verſibus. Sequitur nunc ipſe Porphyrii libellus, cui addita eſt
p. 1-32 Holſtenii latina verſio, nec parua variarum lectionum copia, cum nata e comparatione antiquarum editionum, tum e coniecturis Auctoris. Quidquid igitur ad ſcripturam libelli ſpectat, id
p. 33-48. totum hoc indice continetur. Illi addita eſt Latina Conr. Geſneri verſio, quoniam rarius ea occurrit, atque huic
p. 49-52. etiam notulas Cl. *Goenſius* ſubiunxit. vnde adparet, non ſecundum editionem aliquam, ſed e codice manu ſcripto illam fuiſſe adornatam. Has notulas excipiunt
p. 53-82. *Collectanea ad libellum Porphyrii de antro Nympharum.* Sunt ho-
[illegible] rum

rum duae partes. Prima ſpectat ad Homerum, cuius verſus exhibentur, additis variis lectionibus, verſionibus Latina et Anglica Popii, Scholiis minoribus, commentariis Euſtathii, Spondani, Barneſii, Dacieriae, Popii, Auctorisque ipſius. Vna igitur quaſi in tabula, quicquid interpretes Homeri de eo loco dixerunt, apparet. Tum excerpſit ex aliis libris, quae ad locum Homericum ſpectarent, vt ex Scaligeri Poetices L. V. atque e Wowerio de Polymathia. Altera pars ad Porphyrium ſpectat, excerpta complectens e Marshami Canone Chronico, e Petito de Sibylla, e Guil. Canteri Nouis lectionibus, eaque ad Porphyrium Philoſophum, ad libellum ipſius, et Philoſophiae, quam ſectabatur, opiniones pertinentia. Vlti- p. 83-122.
mo loco apparent *Animaduerſiones Gyenſii ad libellum Porphyrii.* Non tam ad Graecum ſermonem illae ſpectant, quia Porphyrius parum elegans dicendi genus curaſſe videtur, vt decet Philoſophi barbam et frontem, quam ad hiſtoriam philoſophiae, ad Platonicorum ſententias, ad opiniones Heracliti et Empedoclis. Immo etiam Auctor p. 96.
Syntagma Empedocleum, trecentis fragmentis

gmentis Pythagorei Philosophi conspicuum, se editurum esse pollicetur, quale iam I. A. Fabricius molitus est.

III.

Histoire des Révolutions de l'Empire Romain, pour servir de suite à celle des Revolutions de la Republique par *S. N. H. Linguet*, Avocat au Parlement.

Parisiis, ap. Desaint. *1766.* T. I. pagg. 399. T. II. pagg. 442. 12.

Posteaquam Romanensium fabularum copia totum orbem oppressit admodum usque ingeniosa Gallia earumque materiem consumsit omnem, ad rerum gestarum memoriam transire incipit. Mirifice enim historiae honesto et gravi vultui dolosas Francici fuci illecebras adspergere cupit, sanctamque matronam in mulierculatum circulis inter nugacem Abbatum turbam garrire docet. Nihil certe egisse videntur aliud in Gallia ii, qui inde ab aliquo tempore rerum olim gestarum a Graecis et Romanis historiam scribere ausi sunt,

quam

quam vt idem sibi licere ostenderent, quod Milesiarum scriptoribus quilibet lubenter concedit. Neque enim, quod fide dignorum auctorum testimoniis confirmatur, quod optimi historici memoriae prodiderunt, quod nemo vnquam in dubium vocauit, repetunt. Quis etiam hanc curam, hoc religiosum veritatis studium ab istis exspectet? Alia potius ratione delectati, quod politulo limatuloque ingenio probabile videtur, quodque ipsi, licet omni auctoritate destituti, verum censent, in libellos referunt, mira verborum copia, elegantia etiam orationis, exornant, et lectoribus obtrudere conantur. Horum hominum sermones licet se commendare videantur ingenii aliqua specie, mox tamen, re accuratius considerata, istos rerum antiquarum probe ignaros leuiterque litterarum scientia tinctos esse ostendunt.

Ex illa igitur turba media excitatum hodie in scenam producemus vnum. Is est *Linguetus*, homo, si dicendi genus spectes, non indisertus, nec inuenustus, si dubitatiunculas ab ipso excogitatas consideres, non plane insulsus, si res ipsas, quas commemorat, et senten-

gmentis Pythagorei Philosophi conspicuum, se editurum esse pollicetur, quale iam I. A. Fabricius molitus est.

III.

Histoire des Révolutions de l'Empire Romain, pour servir de suite à celle des Revolutions de la Republique par *S. N. H. Linguet*, Avocat au Parlement.

Parisiis, ap. Desaint. 1766. T. I. pagg. 399. T. II. pagg. 442. 12.

Posteaquam Romanensium fabularum copia totum orbem oppressit ad taedium usque ingeniosa Gallia earumque materiem consumsit omnem, ad rerum gestarum memoriam transire incipit. Mirifice enim historiae honesto et gravi vultui dolosas Francici fuci illecebras adspergere cupit, sanctamque matronam in muliercularum circulis inter nugacem Abbatum turbam garrire docet. Nihil certe egisse videntur aliud in Gallia ii, qui inde ab aliquo tempore rerum olim gestarum a Graecis et Romanis historiam scribere ausi sunt,

quam

quam vt idem ſibi licere oſtenderent, quod Mileſiorum ſcriptoribus quilibet lubenter concedit. Neque enim, quod fide dignorum auctorum teſtimoniis confirmatur, quod optimi hiſtorici memoriae prodiderunt, quod nemo vnquam in dubium vocauit, repetunt. Quis etiam hanc curam, hoc religioſum veritatis ſtudium ab iſtis exſpectet? Alia potius ratione delectati, quod polituſo limatuloque ingenio probabile videtur, quodque ipſi, licet omni auctoritate deſtituti, verum cenſent, in libellos referunt, mira verborum copia, elegantia etiam orationis, exornant, et lectoribus obtrudere conantur. Horum hominum ſermones licet ſe commendare videantur ingenii aliqua ſpecie, mox tamen, re accuratius conſiderata, iſtos rerum antiquarum probe ignaros leuiterque, litterarum ſcientia tinctos eſſe oſtendunt.

Ex illa igitur turba medio excitatum hodie in ſcenam producemus vnum. Is eſt *Larcauetus*, homo, ſi dicendi genus ſpectes, non indiſertus, nec inuenuſtus, ſi dubitatiunculas ab ipſo excogitatas conſideres, non plane inſulſus, ſi res ipſas, quas commemorat, et ſenten-

tias, quas de aliis tulit, examinès, impudens fere et parum verecundus, si ridiculos errores ab illo commissos cognoscas, rerum antiquarum imperitus. Hic, inceptam a Vertotio historiam Romanam pertexendi consilio capto, eam inde ab Augusti imperio vsque ad Alexandrum Seuerum perduxit ita, vt se solum audiret, reliquos auctores men-
Praef. daces nugacesque censeret omnes. Ta-
p. 28 citi malignitatem in notandis hominum vitiis accusat, Dioque Cassius et Suetonius omni contemtu seuero iudici digni videntur (*). Licet vero, vt etiam Ernestius (**) ostendit, Suetonius omni fide dignissimus sit, cum monimentis actisque publicis vsus sit, cum

(*) p. 29. *Dion & Suetone ont encore poussé bien plus loin l'inadvertance & la malignité. L'un est Rheteur babillard, plutôt, qu'un Ecrivain raisonnable. Loin de mériter la confiance de ses Lecteurs, il ne peut leur inspirer, que du dégout. Suetone n'est pas capable de les rassurer davantage. Il s'occupe à ramasser des anecdotes, bien plus qu'à les choisir. Il les raconte avec un style aussi lache, qu'indecent. Il les entasse sans examen, & sans distinction &c.*

(**) *de fide historica recte aestimanda* in *Opuscul. Philol.* p. 64. §. 19. 20. sequ.

cum, Magistri Epistolarum apud Hadrianum munere functus, Epistolarum publicarum magnamque facultatem habuerit atque vbique luculenta fidei et diligentiae documenta ediderit, licet vero nullis, quae perpetuo in ore habet, crimina argumentis confirmauerit, id quod tamen ille fecit; qui inter nostrates de mala Suetonii fide sat nugatorie scripsit, (*) licet ipse, si diligenter attenderis, plerumque Taciti tantummodo verba interpretatus sit, suaeque orationi hoc modo non parum decoris conciliauerit, licet etiam mirum alicui videri possit, antiquorum auctorum accusatorem contemtoremque tamen antiquam historiam exponere ausum esse, saepius tamen eandem cantilenam repetit (**). Nam, vt solent ii, qui veterum historicorum fidem labefactare solent, quosque Perizonius bene exagitavit (***), ratiunculis vbique politicis nititur, veteres mores e Gallicis fingit, quaeque suae aetati non sat conuenire putat, in dubitationem vocat, veteresque

(*) in *Symbolis Bremens.*
(**) v. T. I. p. 155. et p. 188.
(***) *de fide historica contra Pyrrhonism. histor.*

que auctores accusat, quos illum non diligenter satis legisse, foedi, quibus delectatur, errores testantur. Sed exemplis aliquot declarandum est, quibus de rebus ab illis dissentiat auctor noster. Singulorum vero librorum, (nam in octo libros opus suum diuisit) argumenta recensere non opus est. Quare, vt ratio viri perspiciatur, primum tantummodo librum paullo accuratius examinabimus, e reliquis ea excerpemus, quibus maxime gloriari videtur, quaeque illius propria si esse dicere velis, nec miramur, nec inuidemus.

Septem libri primi capita ad Augustum pertinent. In cap. I. mores illius et ingenium ita describit, vt tyranni crudelis et sanguinolenti imaginem contemplemur. Nec tamen hic quidquam protulit, quod non dudum ab aliis dictum esset (*). Nolumus quidem Augusti defensionem suscipere, sed male tamen Auctorem virtutes Augusti praeteriisse solis vitiis commemoratis, existimamus. Nobis certe in illo praeter alia semper placuit ea constantia, qua, quos semel diligere inceperat, amare

(*) v. *les Oeuvres de l'Abbé de S. Real.* T. II. p. 343.

mare solebat (*). Qui imperii Romani fines tum fuerint, quique Romanorum, Augusto rerum potito, mores, eodem capite narrat. Cap. II. pertinet ad Augusti imperium sententiasque, quas secutus est, in eo stabiliendo. Illi profuisse dicit tribuniciam potestatem a senatu concessam, nomen Imperatoris mollius, exercitus imperium soli Augusto datum. In cap. III. agit de iudiciis maiestatis, quae ad artes Augusti refert et quibus vix vllum gravius malum rempublicam oppressisse docet. Nos potius cum Bachio (**) horum iudiciorum institutionem ad Tiberii tempora retulissemus. Transit in cap. IV. ad pacem curamque pacis ab Augusto adhibitam, vbi paullo cautius de clauso Iani templo loqui debebat (***). Quod Germanos dicit Vari legionibus victis *inutilem perfidiam* commisisse, *Gallum* loquentem agnoscimus. In cap. IV. quid Augustus imperio potitus egerit, se expositurum esse pollicetur. Sed summam antiquae p. 26.

 histo-

(*) v. Sueton. *in vit. Aug. c. 66.*
(**) in *Historia Iurisprud. Rom.* L. III. c. I. p. 298. et p. 346.
(***) v. Massoni *Ianitemplum reseratum.*

historiae ignorantiam hoc caput testatur. Quis non miretur, Auctorem scripsisse, *probabile esse*, ab Augusto iuris Romani priscam formam immutatam esse, sed vix historicos veteres aliquid tradidisse, quo haec *coniectura* firmetur (*)? Non solum vero Tacitus clare dixit (**), Augustum *dedisse iura, quibus pace et principe vterentur* Romani, sed etiam ex tot aliis scriptorum locis discimus omnia, quae mutato reipublicae statu Augustus egerit, et, quomodo iura vnius potestati consentanea aptaque novae imperii formae reddiderit, quaque arte in his omnibus vsus sit, quam callide et suspenso pede quasi incesserit, ne populus nouae potentiae instituta sentiret, intelligimus. Si ipsos auctores euoluere piguit, vel Heineccius (***) Nostrum docere poterat, Augustum simulacra et vocabula antiquorum magistratuum reliquisse, potestatem ipsum exercuisse: initio leges veteri ritu ferri passum;

(*) p. 26. *Il est probable, qu'il a réformé la Jurisprudence* — p. 29. *Mais on trouve à peine dans l'histoire de quoi autoriser cette conjecture.*

(**) in *Annal. III.* 28.

(***) in *Historia Iuris*. c. IV. a §. 160. vsque ad §. 198.

passum, mox liberius regnasse, multaque cum per Senatum sanciuisse, quia populus senatus auctoritati adsuetus esset, tum propositis edictis praecepisse, multa iura noua dedisse, instituta praefectura vrbana praetoris antiquam auctoritatem non parum imminuisse, denique facultatem publice de iure respondendi, olim omnibus communem, certis tantum viris tanquam beneficium tribuisse, ne quid de legibus Iuliis iudiciariis dicamus, mandatisque magistratum iuituris datis. Haec igitur longeque plura cum ab antiquis scriptoribus memoriae prodita sint, cur ad *coniecturas* confugiamus? — In cap. VI. agit Auctor de amore litterarum cultuque doctorum hominum, quem in Augusto omnis aetas celebrauit. His delinimentis consopire studuisse dicit Augustum populum et ad otiosam vitam adducere, vt eo facilius iugum pateretur. [Idem multo magis venationibus, ludis, congiariis, muneribus gladiatoriis efficere tentabat] Augustum poetis debere gloriam bonamque famam, quam posteritas illi tribuerit. Vltimo capite de malis Augusti domesticis et morte Auctor exponit. Priusquam vero

ro progrediamur, quam egregie antiquarum rerum peritus sit, iuuat alio exemplo declarare. Nam de verbo *Caesar* ea auctor narrat, quae praeter eum nemo (*). Nos quidem scimus Caesares appellatos esse destinatos successores (**), atque hoc nomen posteriori tempore non familiam respexisse, sed dignitatem, non supremi, sed proximi tamen fastigii. Quam vero Noster huic nomini tribuit, vim eam non meminimus a quoquam commemorari. Sed quis non credat, eum, qui omnium scriptorum fidem suspectam habeat, alios auctores habere, quorum testimoniis confidat, nobis quidem omnibus ignotos, sed probabiles procul dubio et antiquos? Certe, vt sic existimemus, dissensus Auctoris a reliquis efficit. In Tiberii vita multa illi dubia videntur. Non

(*) p. 32. — *& que chaque Empereur eut adopté l'usage de se donner un* Lieutenant, *ou quelque fois deux, sous le nom de César. Ces Princes subalternes voulurent tous avoir une Cour & des armées. Ils tachoient d'étaler à la seconde place un faste &c.*

(**) v. Sueton. in *Galb.* c. 17. add. Spanhemium *de Vs. et Pr. Numism. Diss. XII.* p. 342. sequ.

Non credit Tiberium, oblato imperio *animi caussa* (vbi hoc dicit Tacitus? p. 45.
equidem nihil inueni aut legi) senatum populumque ita suspensum tenuisse, vt Tacitus narrat. Paullo post eundem Ta- p. 81.
citum reprehendit commemorantem, Pannonicarum legionum luna obscurata perterritarum seditionem Drusi astu compositam fuisse. Primum vero non, vt Gallus mentitur, Tacitus superstitioni antiquorum temporum inseruiit. Nam dum dixit: *miles ignarus rationis omen id accepit* et: *vt sunt mobiles ad superstitionem semel perculsae mentes*, quid ipse sentiret, sat luculenter ostendit. Deinde cur res ista incredibilis videatur, caussam video nullam (*) Memini virum doctum notare, eadem, quam Drusus adhibuit, arte vsum Columbum esse, et lunae defectu praedicto prohibuisse, quo minus Iamaicae incolae armis pugnarent (**). Nonne plebs vel leuioribus terriculamentis percelli potest? Nonne populus Pari-

D d 5 siensis

(*) *J'avoue, qu'en copiant tout cet episode dont Tacite orne sa narration, je n'en crois pas un mot.*

(**) v. *Histoire de l'Isle Espagnole par le Père de Charlevoix.*

fiensis ante paucos annos magis etiam ridiculum μοϱμολύκειον extimuit? Cur negemus, Drusum imbecillitate hominum minus feliciter abusum esse, quam ea Iesuitas abuti quotidie videmus audimusque? — Inprimis vero Tiberium *Linguetus*, vt decet caussarum patronum disertum, defendit, forte vt clientum alliciat cohortem. Quae Suetonius et Tacitus de secessu Capreensi narrent, nullam fidem mereri ait: hortis ibi amoenis et conuiuiis iucundis se Tiberium delectasse, non ista scelera
p. 150. amasse. Argumentis vero vtitur his. Nulla, dicit, de iuuene et viro libidinis suspicio fuit, nemo Tiberium, nisi senem, voluptatibus deditum fuisse narrat. quomodo igitur probabile est, senem patrasse ea, quae iuuenis vitauit? Paucis respondeamus. Tacitus (*) scribit, *partem multo maximam* dixisse; Tiberium ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid, quam iram, et simulationem et *secretas libidines*, meditatum esse. Alio loco dicit idem (**) *obtexisse* istum *libidines*, dum Seianum dilexerit timueritue. Sed instat *Lingue-*

tus

(*) in *Annal.* I. 4. (**) in *Annal.* VI. 51.

tus et senectuti clamat haec vitia plane ignota esse. Vinum illa amat, auaritiae dedita est, alia vitia sectatur, non voluptatem tetram. Mirum vero caussidicum, qui senes adulteros ignoret! Si nobis cum docto homine dignoque refutatione grati res esset, diceremus illi modeste dubitanti, in eadem insula, quae sedes fuit scelestarum libidinum, inuentos fuisse nummos obscoenissimos, qui Spintriae dicuntur, vt Addissonius de Capreis memoriae prodidit (*). Sed quis multum studii ponat in diluendis istis criminibus? Semel vero Tiberii defensione suscepta longius Auctor progreditur. Crudelitatis, quam in Tiberio omnes detestantur, atrocitatem cum excusare studet, quia forma imperii ad multa durius agenda coactus fuerit; tum emollire ita, vt eam ab historicis mendacibus, Tacito et Suetonio, verbis auctam esse dicat. Imprimis irridet fabulam, vt putat a Suetonio (**) narratam. Carnificinae, ille inquit, hic locus ostenditur Capreis, vnde damnatos post longa et exquisita tormenta praecipitari coram se in mare iubebat:

p. 156.

p. 157.

exci-

(*) *Remarks of several parts of Italy.*
(**) in Tiber. c. 60.

excipiente classiariorum manu et conantis atque remis elidente cadauera, ne cui residui spiritus quidquam inesset. Hanc historiam cur veram esse negemus, caussam video nullam. Mitto, Suetonium dicere, locum ostendi ideoque non potuisse hoc illum narrare, nisi haec fuisset tum omnium opinio. Tantum dicam, tragoediam similem, accidisse Matiscone, vrbs quae Burgundiae est, et Monbrisone, quam iuste cum saeuitia Capreensi comparat Mandeuillius. Ibi taeterrimus homo, vrbis, quam Hugonotae ante tenuerant, praefectus, Saint-Point, conuiuio lauto instructo conuocatisque nobilissimis foeminis, e suis quaerere solebat, an omnia ad ludum parata essent? ab his deinde aliquot captiuis adductis ridicula quaedam illos interrogabat, atque de ponte in aquam deiici iubebat (*). Hic vero Franciscus Beaumont pontificios captiuos de vallo deiecit, infra eorum cadauera hastis excipientibus militibus (**). Nonne haec saeuitia Tiberianae simillima est? Quod vero dicit,

(*) v. Bere *Histoire Eccles. L. XV.*

(**) Varillas *Histoire de Charles IX.*

eſt (*), non animi cauſſa principem occidere ſolere ciues, nec, vt multos praeterea in alios, iſtum, quem Ruſſi appellant, Iwanum Waſiliewitſch, neque ipſum Petrum M. recordatus eſt, quem curioſitatis explendae cauſa non ſemel famulos necaſſe conſtat. Phalaridis taurum ne commemorabo quidem. Non ſcripſiſſet forte iſta *Linguetus*, ſi quae veriſſime a Voltario aliquo loco dicta ſunt (**), in memoriam reuocaſſet. Nihil nobis tam ſaeuum, tam atrox, tam turpe, et flagitioſum eſſe videtur, quod non in hominem cadat. — Cauſa Tiberii perorata, felix fortunatumque populo Tiberii imperium fuiſſe oſtendere conatur. Nos hac ſapientia frui patiemur lubenter *Linguetum*. Quod ad Caligulam attinet, Dionem et Suetonium omnem in illius ſaevitia deſcribenda modum exceſſiſſe arbitratur. Non ſibi perſuaderi patitur, multos p. 169. p. 181.

(*) p. 163. *On voit peu de Princes, qui chériſſent leurs peuple. Mais il n'y en a pas un, qui ſe plaiſe à les voir égorger.*

(**) *Inexplicables humains, comment pouvés-vous réunir tant de baſſeſſe & de grandeur, tant de vertus & des crimes?* le monde comme il va ch. 64.)

multos illum *ad bestias condemnauisse*; atque hoc supplicii genus plane tum ignotum fuisse putat Romae (*). At iam C. Asinius Pollio Ciceroni scripsit de Balbo (**): *Bestiis vero ciues Romanos obiecit.* Plura non opus est dicere de re a multis doctis viris (***) exposita. Quodsi auctor Eusebium ridiculum mendacium protulisse dixisset, nobis persuadere cupientem, Blandinae corpus nullam bestiam attigisse (†) et Aegyptiorum, sacra Christianorum amplexorum, corpora voracissimas bestias nec attingere voluisse, nec propius accedere ausas esse (††), si fabulam de Saturo

(*) p. 185. *Jamais ces especes de punitions ne furent mises en usage dans Rome, du moins au tems, dont il est ici question. Elles repugnent aux Loix & aux usages qui y subsistoient encore.*

(**) in *Epist. ad Fam.* X. 32.

(***) originem explicant Cassiodorus *L. VI. Varior. p.* 88. et Tertullianus *de spectacul.* c. 12. conf. Petr. Fabrum in *Semestr.* L. I. c. 6. L. II. c. 7. et 11. et, praeter Bulengerum atque Panuinium, Torrentium ad *Sueton. Claudium* c. 34. et Alex. ab Alexandro *in Genial. Dier.* L. I. c. 8.

(†) v. Hist. Eccles. L. V. c. 1.

(††) Ibid. L. VIII. c. 7.

ro martyre (*), quem nec aper nec vrſus violare auſi ſunt, exploſiſſet, hercle! nobis fauentibus hoc feciſſet. Sed tam friuolis argumentis vſus non debebat rem bonorum auctorum teſtimoniis firmatam negare. Nec maioris momenti ſunt, quae ad alia dementiae crimina a Caligula abſtergenda profert. — Claudium defendit contra Montesqueium, qui, quod ipſe et ſolus iuri dicundo praefuit, eum accuſat. Nempe Claudius homo natura ſtupidus, mancipium libertorum et vxorum, non ex aequo et bono, ſed ex libidine iudicavit. Neronem vrbem Romam incendere voluiſſe, negat, licet Dio, Eutropius, Oroſius et alii in hac re conſentiant, aureamque Neronis domum talem fuiſſe, qualem Suetonius deſcribit, qui *ridiculam* illius imaginem exhibuit. vbi meliora docere poterat Auctorem Alexander Donatus (**). Nec ſibi perſuaderi patitur, Veſpaſianum Alexandriae ſanaſſe duo ex plebe, alterum manu aegrum, alterum oculorum tabe notum. Tillemontius

p. 226.

p. 250.

T. II. p. 4.

(*) vid. Ruinarti *Acta primor. martyr.* p. 101.

(**) *de vrbe Roma* L. III, c. 5.

montius. Imperatorem hoc auctore diabolo effecisse putat. Hanc opinionem Auctor serio, verbose, et ita refutat, vt valde placeat. Nam si vel rem accidisse dicamus, diabolum tamen parum callide res suas egisse, ostendit, atque centum artium puerum docere cupit meliora. Id quod nollem Auctor egisset. Nam, vt nunquam desunt impii homines, veremur, ne quis putet „Auctorem multa toti mortalium generi ignota nec a quoquam antea dicta commemorantem hanc sapientiam daemonum fauori debere, magistro suo hanc gratiam referentium. Sed forte nec ii facile refutari possunt, qui nil, praeter Vespasiani astutiam et fraudem hic inueniant, praesertim cum, vt Suetonius scribit, auctoritas et maiestas quasi quaedam

p. 361. nouo principi deesset. Maxime etiam hoc loco irascitur Iosepho, Vespasiano imperium praedicenti (*) quanquam si recte rem considero, non sat dignus mihi ille huius censurae acerbitate videtur.

(*) *La bassesse avec laquelle cet Ecrivain osoit jouer le role de charlatan, pour flatter miserablement les destructeurs de sa patrie doit bien décrediter son nom & son histoire.*

tur. Audiuerat enim Iosephus se ad Neronem missum iri a Vespasiano illiusque humana forma induti monstri crudelitatem non ignorabat. Homo igitur admodum natura sagax, in republica diu versatus, qui et Neronem Romanis inuisum esse nouerat, et Vespasianum non solum militum fauore valere, sed etiam gloriae cupidum esse, immo signa et ostenta superstitiose obseruare sciebat, hoc vaticinio se praesentissimo vitae periculo liberandi consilium cepit. Vespasiani credulitatem irridere licet: Iosephum sibi suaeque vitae consulentem ita, vt nemini noceret, excusare decet. Paullo post Vespasiani prudentiam Auctor explicat, atque eum inter et Henricum IV. comparationem instituit. — Quantum Romani Iudaeos contemserint, quam vilia eorum omnia instituta existimauerint, et quomodo Iudaei totius orbis odium et contemtum contraxerint, copiose nec omnino male docet. Quam vero bonus Theologus Linguetus sit, Iudaeos aliquantum excusare conatus, videant ii, ad quos haec pertinent (*). — Au-

p. 11.

p. 23.

(*) p. 25. *Ils ne voyoient dans le fils de Dieu*

Aureum illud Titi dictum: *Diem perdidi*, ridiculum censet (*) indignum
p. 55. Tito, et iniuria illi tributum esse. Parem certe antiquis hic Sophistam agit, dum de principum liberalitate disputat, de parsimonia beneficiorum, vt ostendat, nomini Titi Suetonium iniuriam
p. 65. fecisse hac fabula. Neque hic inuidemus acumen ingenii auctori. — Quae de Herculano dicit et veterum auctorum libris ibi reperiundis magnifice loquitur, clare ostendunt, illum, quae viri docti de hac re scripserunt, ignorare.
p. 78. Agit etiam de Apollonio Thyaneo, cuius virtutes laudat, cui Tillemontium iniuriam fecisse dicit, cuiusque defensionem suscipit (**), me non plane reluctante.

Dieu fait homme qu'un imposteur — Leur aveuglement justifioit en quelque sorte ce blasphême. Dieu, en leur cachant sa lumiere, les autorisoit, pour ainsi dire, à en nier l'existence.

(*) *Ce trait est devenu fameux, comme bien d'autres, qu'un Ecrivain sans jugement hazarde — ce ridicule apophtegme. S'il étoit vrai il donneroit lieu de croire, que ce Prince avoit bien plus de petitesse dans l'esprit, que de générosité dans le cœur.*

(**) p. 88. *Apollonius est un des plus beaux modeles, dont la philosophie humaine se puisse glorifier.*

luctante. — Posteaquam Domitiano non omnem laudem boni principis cum antiquis historicis denegandam esse, docere voluit, in Traiano paullo diutius subsistit. Huicce narrationi intexuit brevem Christianorum historiam. Nihil hic vero legimus, quod nouitatis speciem haberet, aut quod non in quolibet libello legi posset. Traiani de Christianis rescriptum defendit, illudque magis bonitatem, quam rigorem indicare dicit. — Sed ecce! nunc, quali cum homine nobis res sit, *Linguetus* ostendit. Vbi enim Adriani vitam exponit, repente Iuris scientiam, qua instructus est, omnem expromit, iuris, qualis tum fuerit, formam describit, et quid ille egerit, narrat. Licet vero multa constituerit iste imperator, quae narrare potuisset, nil tamen aliud longissima oratione agit, quam vt commemoret, Adrianum Italiam in quatuor prouincias diuisam Consularibus regendam dedisse; iis tradidisse certas leges et formam iurisdictionis praescripsisse: hanc iuris dicundi normam dictam fuisse *edictum perpetuum*. Pueri in Germania edicti perpetui rationem melius hoc viro intelligunt, qui in su-

p. 91.
p. 143.
p. 166.
p. 190.

 premo

premere Galliae iudicio caesar agit. Ni- si elegantia Gallica leuiorem orationem postularet, impudenter agere dicere- mus auctorem, qui de rebus scribere ausus sit, quorum inscitia in ipso est
p. 204. maxima. Nec successores multa huius edicti capita mutasse dicere poterat, si recordatus esset, principes passim professos esse, non debere edicti per- petui formam negligi, quae loca Hei- neccius collegit (*). — Sed ad finem properamus, licet triste spectaculum nostris oculis obiiciatur. Omnes enim, qui Imperatorum res gestas enarrarunt,
p. 305. gladio suo iugulat *Linguetus*. Capito- linum ob voracitatem Albino tributam
p. 307. non parum reprehendit (**), etiam Dionem de morte Albini exposuisse fal- sa addit (***). Seuerum defendit ma- gisque laude quam reprehensione di-
p. 349. gnum esse censet: nec esse probabile existimat, Caracallam vrbem Alexan- driam euertisse ciuesque omnes truci- dasse, licet scriptores aequales hanc rem commemorent. Tandem, vt sem- per

(*) in *Hist. Iur.* L. I. p. 366.
(**) *Gazettier méprisable.*
(***) *Dion n'étoit pas homme à manquer l'occasion de placer une absurdité.*

per sui similis est, Elagabali teterrimos mores oratione auxisse et mendaciis historicos pessimos tradit. Quae quidem crimina omnia licet facile refutari possint, mittimus tamen ea, pauca dicturi de praefatione. Facile enim intelligi potest, auctorem, qui in ipso opere tam magnifice se gessit tamque egregia protulit, non inferiora his protulisse in praefatione. Neque opinio haec et coniectura quemquam fallet. In illa igitur caussidicus noster acerbe in veteres historicos inuehitur, qui Imperatorum res gestas exposuerunt, quosque aut credulos, aut malignos fuisse putat. Hinc Tacitum, Dionem et Suetonium in ius vocat eorumque fidem conuellere et labefactare omni studio conatur. Deinde Romani imperii fines describit, nec eos tam amplos fuisse dicit, vt multi scriptores dicant, nec Romam reginam orbis appellari posse, addit. Immo nos ne recte quidem de Romanorum institutis iudicare posse, multis exemplis probare nititur. Haec ille repetiit ex re militari, vbi nil, nisi tenebras, inuenit. Non intelligere nos dicit, quomodo Clypeos adaptauerint brachio aut corpori milites, licet hoc

p. 400.
pagg. 67.
p. 33.

ex multis monumentis discere potuisset (*). Formam *testudinis*, quam milites scutis sese tegentes vndique faciebant, ab antiquis plane omissam putat et a recentioribus tantummodo esse effictam. Neque enim sciuit, ipsum Liuium sat luculenter eam depinxisse (**) neque homo, qui in aliis memoriam, thesaurum rerum multarum et custodem, exagitat, recordatus est, plana quoque habuisse veteres scuta eorumque in testudine formanda vsum (***) fuisse. Haec de praefatione.

Commorati profecto sumus in hoc libello longius, quam futilitas illius auctorisque inscitia merebatur. Voluimus enim illustri aliquo exemplo ostendere, cum quam parum antiquarum litterarum honos nunc floreat in Gallia, quae eiusmodi libellos legit, commendat, et laudat, tum quam vani, quam imperiti antiquae historiae vulgo sint ii, qui ratiunculis quibusdam excogitatis

(*) v. c. *e Museo Capitolino* T. III. *t*. X, XI, et XXI.

(**) L. XLIV, c. 9. add. Lipsii *Poliorc*. V. 1.

(***) v. Franc. Patricii *Rem militar. Rom. P. V.* sect. 3.

tatis omnique ſpe in illis poſita, quam per tot ſecula legitima poſſeſſione tenuerunt, veteribus hiſtoricis bonae fidei laudem eripere conentur.

IV.

Theocriti reliquiae vtroque ſermone cum ſcholiis Graecis et commentariis integris Henrici Stephani, Ioſephi Scaligeri et Iſaci Caſauboni: curauit hanc editionem, Graeca ad optimos codices emendauit, librum animaduerſionum, indicemque verborum Theocriteorum addidit *Io. Iacobus Reiske.*

Viennae et Lipſiae. T. I. a. 1765. T. II. 1766. 4.

Perferetne irarum calidaeque rixae capax Critici animus modeſtae cenſurae libertatem? Certe *ſceleſtos* et *improbos* Vir Cl. appellauit, qui de verbis et ſyllabis ab ipſo diſſentirent, orationisque atrocitatem rei leuiſſimae accommodauit.

Ἐντί γε πικρὸς
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ
ῥινὶ κάθηται.

 Sed

Sed vel sic sententiam nostram de hac Theocriti editione, libere, vt nostra fert consuetudo, dicemus. Quodsi Vir Cl. nostras admonitiones parum humane accipiat, si frontem corruget, conuitiari incipiat et nobiscum ita agat, vt cum scholae suae alumnis agere solet, non nobis, sed sibi molestus erit. Me quidem ista conuicia parum mouebunt, qui, quid nostra aetas de illa animi impotentia iudicet, sciam. Ipsum vero Virum Cl. aliorum risum, cuius sane nimium pretium est, si modestiae et humanitatis impendio constat, captare si intelligerem hac Critica atrocitate, aegre profecto hoc ferrem. Faueo enim honori et famae viri, cuius efficacem perpetuamque industriam lubenter laudo. Quare etiam vellem, paullo consideratius, quae ad se pertineant solum, commemorasset. Se ab interprete Arabici poetae, Motanabbi, dissertam coniugalis gaudii laudem descriptionemque, quibus proternus Grammaticisque etiam et Criticis propitius Cupido praeest, secretorum thalami non exspectasse, multos memini dicere. Nos quoque paullum mirati sumus Viri candorem ad illum locum delati: *Ipse*

memini,

memini, *saepe mihi puerulo tale oscu-* T. II.
lum Florentinum impressum, *et cum* p. 81.
uxorem paullo θερμότερον *amplector*,
eo genere utor. Laetamur quidem,
iuuenescere Virum Cl. se hominem es-
se recordari, a quo nihil humani alie-
num sit, interdum blanditiis Veneris
captum, quae sane dea paullo suauior
et venustior esse videtur illa, quae Cri-
ticorum studiis seuera semper et contra-
cta fronte praeest, animum relaxare a
grauioribus negotiis genioque indulge-
re suo. Hoc enim modo praeter De-
mosthenis nouam editionem plura opu-
scula ab eo nos accepturos esse speramus.
Sed longe aliam laetandi causam mul-
tos his lectis inuenturos esse credi-
mus. Neque omnino placuerunt liber-
rima illa iudicia, quae Virum Cl. de
hoc libro ipsum tulisse videmus. *Haud* praef.
infitiabor, inquit, *subitaneam et depro-* p. 8.
peratam esse hanc operam — *non eram*
Theocriti lectione tritus: *carebam otio*,
eos libros, *qui in potestate mea essent*,
diligenter perscrutandi: *plane nihil ad*
hunc poetam in aduersariis annotatum
habebam. Agnoscimus facile cando-
rem viri dignissimi, quicum in tene-
bris mices. Sed recessit heu! nostra

aetas ab antiqua simplicitate multum; ideoque veremur, ne, vt magna pars eorum, qui nunc viuunt, improba est, plerique dicant, non debere quenquam explicandum auctorem edendumque sibi sumere, quicum non diuturno vsu quasi familiaritatem contraxerit, nec postulari vulgo, vt cito aliquid perficiatur, sed vt bene et curiose omnia elaborata niteant: immo festinationem non raro scriptoribus periculosam et noxiam esse. Quibus quidem censoribus ita respondebimus, vt primum doceamus, magnam quotidie coniecturarum et obseruationum segetem in Viri Cl. cerebro, tanquam in fertilissimo solo, nasci, id quod clare ostendunt quinque, quae intra breue temporis spatium edidit, Animaduersionum ad Graecos scriptores volumina, tum quomodo longe alia meditanti huius editionis adornandae necessitas imposita fuerit, ipsius verbis narremus. *Institor*, inquit, *librarius, qui sumtus huic nouae Theocriti editioni erogauit, artifici illi, cuius typos et operas ei excudendae conduxit, per litteras in mandatis dederat, (nam Viennae Austriacae fixas habet fortunarum sedes) vt homini, quem*

ipse

ipse idoneum iudicaret, *correctionem mendarum typographicarum demandaret. Ille itaque — ad me venit — percunctandi ergo, essetne mihi animus et otium, mendas typographicas e foliis a prelo calentibus tollendi. Ego sine cunctatione condicebam operam meam &c.* His igitur argumentis omnium calumnias nobis refutantibus hanc veniam Vir Cl. dabit eo facilius, vt quae nobis non omnino in hac editione placeant, nos exponere patiatur. Quidni etiam hoc nobis concessurum esse existimemus seuerum aliorum ingeniorum arbitrum et iudicem, cuique Dan. Heinsius, quem *praef.* plerique ob eruditionis copiam et inge- p. 25. nii elegantiam summis laudibus celebrant, *vanitate iactantiae et argutiarum ieiunitate contemnendus, ridiculus, molestus et miserabilis* audit.

Primum igitur valde mirati sumus, Virum Cl. versibus Graecis apposuisse Latinam interpretationem vulgarem, nullis erroribus, quibus illa scatet, emendatis. Constat enim nec illam Latinam esse, nec cuiquam, dum verbum fere verbo redditur, prodesse. Non licet hercle! de Theocrito Latine ita loquente dicere, quae de Graeco Theocrito dici debent;

Adi

Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ, πίτυς, αἰπόλε,
τήνα
ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται· ἁδὺ δὲ καὶ
τὺ
Συρίσδες.

p. 33. Addere voluit Vir Cl. libellum animadversionum, quae ad emendandam versionem, quam ipse *haud raro a sensu communi plurimum abhorrere* fatetur, spectarent, sed omissus ille deinde fuit. Porro obseruauimus aliquot documentis, vbi Vir Cl. verba Theocriti mutauerit, veterem tamen lectionem in versione integram relictam esse, quae tamen Graecae orationi, nisi me omnia fallunt, respondere vbique debet. Sed delati sumus ad alteram, vt Vir Cl. dicet, accusationis, vt nos sentimus, animaduersionis dignae ingenuo homine caput. Saepius etiam ille ostendit receptas codicum auctoritate lectiones sibi raro verissimas videri. Hinc ingenio potius indulsit atque coniecturis sola locis succurrere studuit, quae corrupta censeret. Quam quidem coniecturarum, aut, quoniam ita placet, emendationum copiam, qua nunquam Cl. Reiskium destitui scimus, lubenter eum in commentariis indicare et pro-

ponere

ponere patimur. Nam et acumen viri ostendunt et lectorum ingenia acuunt, immo etiam, ne desit aliis, quod facile refutent, efficiunt. Prorsus vero doctorum hominum exemplo reiicimus damnamusque illam audaciam, qua abreptus Vir Cl. non raro suas coniecturas ipsis scriptoribus obtrusit. Nullius codicis auctoritate munitus, nullius antiquae editionis testimoniis innixus, lectiones, omnium librorum consensu firmatas, delet, eiicit eorumque in locum, quae ipse vera censet, reponit. Quem quidem morem minime probandum esse, omnibusque, quibus librorum recta interpretatio continetur, praeceptis aduersari, atque adeo minime tolerandum esse, omnes, qui non eamdem licentiam amant religiosiusque veterum auctorum libros tractandos esse censent, vna voce iudicant. Atque haec quidem libertas eo minus toleranda est in Reiskio, quo magis ipse omnem prosodiam Graecam obseruatamque a Grammaticis syllabarum quantitatem legesque, perpetua obseruatione et vsu ab ipsis poetis latas, negligit et contemnit. Quantum enim credimus deformare posse veteris poetae carmina illum, qui

legem

legem dicendi ipse ferre, omni auctoritate contemta, ausus et libere professus est (*): *nullam certam inesse rationem Grammaticorum de Graeco metro sanctionibus, et, si vel maxime certa sit, inutiliter tamen consumi tempus et ingenium in re per exigui usus?* Meminimus, eundem non solum in animadversionibus ad Sophoclem, Euripidem et Aristophanem hoc errore corruptum miras turbas excitare, sed etiam hanc sententiam repetere in notis ad Anthologiam a Cephala collectam, verissimamque tum et grauem admonitionem audire Gesneri (**): *Tantumdem nobis, nouis hominibus, quamuis barbato tibi, mihi cano, licet in prosodiam, quantum Sigismundo, (si vera est fabula) in genus et declinationem Schismatis.* Sed monitoribus asper retinuit, quam semel animo imbibit, sententiam Reiskius, nec leuiter iis irascitur, qui perpetuas poetarum leges tot exemplis firmatas, non negligendas esse censeant. Huc pertinent illa;

p. 260. *Nimis capti adhuc et occoecati tenentur*

homines

(*) in *Miscell. Lips.* Vol. IX. p. 44.
(**) in *Relation. de libris nov. Gotting.* Vol. III. Fasc. III. p. 157.

homines nostri commentitiis illis legibus prosodicis, quas grammatici sua sponte cuderunt, tyrannidem et vetustis poetis et hodiernis eorum lectoribus pestiferam et plane intolerabilem. Bellissimus vero locus est hic: *Mihi certa sedet sententia, in qua iam a multis versor annis et in dies magis magisque confirmor, poetas Graecos ignorasse, et, si nouerunt, contemsisse illa prosodica Grammaticorum commenta et syllabas pro lubitu, ex rei cuiusque praesentis necessitate aut conuenientia, vsurpasse promiscue, vt easdem litteras syllabasve, prout res quaeque aut animus ferret, modo producerent, modo corriperent, legis certae aut nescii aut impatientes, vt nostri maiores, Lutherus,* HANS SAXE, *et eorum aequales.* Quid his respondeam, non succurrit nunc. Sed si Vir Cl. veritatem suae sententiae mihi probauerit argumentis ex interiore linguarum natura et indole poeseos repetitis, sancte polliceor, me omnibus precibus effecturum esse, vt non solum Musae ipsi comparationem Homeri et Theocriti cum sutore stolido condonent, sed prima quoque Musarum, Calliope, *osculum Florentinum* comprensis p. 282.

sis auribus oricillius imprimat, si modo Vir Cl. promiserit Sciopiique per manes iurauerit, se θερμοτέρους amplexus, quibus solant Iunonem suam exhilarare debent, temperare velle. — Quales denique sunt illae lectiones, quas, deletis aliis, proposuit in hac editione? Non negamus esse inter illas, quae ingenii specie se commendent quarumque forte non pudeat Theocritum. Sed aliae plane intolerabilem audaciam praeferunt, aliae non necessariae sunt, e mera mutandi omnia et corrigendi libidine ortae. Quid opus fuit in Id. V. 47. vulgatam: ταὶ δ' ἐπὶ δένδρω ὄρνιχες λαλαγεῦντε, mutare in δένδρων. Vtraque lectio locum habere potest: sed illa e libris, haec ab ingenio profecta est. In Id. IV. quaerit Battus: Εἰπέ μοι, ὦ Κορύδων, τίνος αἱ βόες; ἢ ῥα Φιλώνδα; Corydon respondet: ὄυκ, ἀλλ' Αἴγωνος; βόσκεν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν. non caussam reddit, cur mutauerit haec in αὐτός. Immo, si argutari liberet, illam lectionem huic praeferendam esse, ostendere possemus. In Id. X. v. 25, nemo profecto cogitasset de mutando verbo, ἅπτομαι, siue legas ὤν γάρ χ' ἅψησθε, siue ὤν καί χ' ἀψεῖσθε: cum verbum

ποιεῦντι

ποιεῦντε illam lectionem sat stabiliat. Reiskius tamen edidit ἂν καὶ λαψεῖσθε. In Id. XIII. 24. antea legebatur ἀλλὰ δ' ἐξ-αίξε, βαθὺν δ' εἰσέδραμε Φᾶσιν, Αἰετὸς ὣς μέγα λαῖτμα. Neminem, qui post verbum ὣς distinguat, offendet haec dicendi ratio, cui multas similes habent Graeci poetae. Sed quomodo nunc legimus? μεγαλωνύχμος, magnis vnguibus praedita aquila. In Id. XVII. 129. Τᾶς οὔτις ἀρείω Νυμφᾶν ἐν μεγάροισι γυνὰ περιβάλλετ' ἀγοστῷ. Ipse edidit ἀρείων et coniungit cum γυνά. Quasi vero non in proxime praecedentibus verbis legatur ἴφθιμα τ' ἄλοχος, nec, quae sequuntur, necessario epitheton, quod ad maritum pertineat, postulent. Nolumus plura exempla adferre. Sed quicunque factas a Viro Cl. in Theocrito mutationes examinauerit, nae ille nobis assentietur, audacius hoc in negotio versatum illum esse, quam Critico liceat, quam, quae antiquis auctoribus debetur, religio permittit. Potestne vero ille vllum huius religionis sensum habere, qui, posteaquam de ineptis quibusdam poetarum nugis locutus fuit, addit? *Satius erat eiusmodi nugas cum Stratonis Eroticis*, Batracho- praef. p. 43.

[illegible] Hymnis Homericis *aliis-que* [illegible] *multis periisse.* De [illegible] Hymnis [illegible] Viri Cl. [illegible] loquenti, neminem [illegible] in Apollinem [illegible] Viri Cl. *Ani-ma*[illegible] *ad Graecos auctores* vo-[illegible] Auliie profe-[illegible] est, ita bellissima verba: [illegible] *forte*, pro-[illegible] vel [illegible] Latonam,

[illegible] —

vel Ap[illegible] celeritate de ter-[illegible] properare:

[illegible]

[illegible] —

Hoc [illegible] prae-ferat [illegible] non [illegible] qui hoc nomine [illegible] appellat) [illegible] ad Graecos auctores [illegible] (habet [illegible] primo Volu-[illegible] repetitione ostendere, [illegible] rei poeticae, quam in-[illegible] arbiter,)

Pama

Fama vetusta viros, quos hoc exile volumen
Exercet, verum et pondera, quae agitant,
Dulcaque et sapiens et tersa, amplissimi
honores.
Commendant gusti, et principum amicitiae:

quibus versiculos indecoros [illegible] si Apollinem post Marsyae supplicium non deteriores audiri dixeris? Batrachomyomachiam non miror Critico displicere. Solet enim Vir Cl. non pugnas cum ranis et muribus, sed cum viris doctissimis gerere, qui [illegible] *tiam*, [illegible], et quae continet [illegible] verba Critica [illegible]. Sed qui Popii, [illegible], [illegible] ingenia amat, et elegantiam, qua [illegible] carminis maiestas ad [illegible] argumentum transfertur, intelligit, [illegible] iudicabit laude [illegible] carmen eoque aegre carebit.

Expositiones ea, quae hunc Theocritum perlegentibus in mentem venirent. Addimus ea, quae ad formam editionis rationemque Viri Cl. pertinent. Expressa est haec editio, typorum et chartarum elegantia et nitore commendabilis, e Londinensi, quae a. 1729 prodiit, ita, ut paginae et versus ue-

vae editionis omnino respondeant Londinensis libri paginis, Ipsa vero Theocriti verba emendauit, aut, vt verius dicamus, mutauit saepe Vir Cl. cum sola coniectura ductus, tum vsus editionibus antiquis, Romana, a Calliergo adornata, Aldina et Stephaniana. Praeter versionem Latinam addita sunt Scholia antiqua Graeca, quibus ipse fatetur se nimis festinantem non eam operam praestitisse, quam deberet. Nec
p. 182. ipse de iis magnifice sentit. *Scholiastae*, inquit, *saepe ineptiunt*, *inscitia rerum et ingenii domestica stultitia*. Haec de primo volumine. In altero, ea, quae ad vitam Theocriti et bucolica carmina pertinent, quaeque editiones pleraeque habent, sequitur notitia codicum manuscriptorum Theocriti e Montfauconio petita. Tum posita apparent Guil. Xylandri Scholia Graeca. His additae sunt Henr. Stephani notae, Iosephi Scaligeri Emendationes, et Is. Casauboni Theocriticae lectiones. Has excipiunt Cl. Reiskii animaduersiones, quibus ea continentur, quae ad lectionem et interpretationem Theocriti cum ex codicibus manu exaratis, quorum lectiones accepit, tum e libris antiquis, quorum

quorum maiorem nactus est copiam, atque etiam e virorum doctorum commentariis petenda essent. In his nos deprehendisse multa acute dicta atque magnae industriae vestigia lubenter profitemur. Tandem additus est index verborum Theocriticorum copiosissimus, ad modum Lexici Lucianei a Reitziis compilati.

V.

CENSVRAE LIBRORVM MINORES,

I.

Christ. Frid. Georg. Meisteri — *Selectorum Opusculorum maxime ad ius ciuile eiusque historiam pertinentium Sylloge.* Gottingae, sumt. Bossiegelii 1766. Alph. 1, pl. 17. 8. Prodierunt, suo quisque tempore, hi libelli, quibus vno volumine editis gratum Vir Cl. operam praestitit iis, qui elegantioris Iurisprudentiae studio dediti sunt. Etenim bene illi scripti sunt, exhibentque accuratam antiquitatis Romanae scientiam, qua non ignobile nomen ii-

 bi

bi comparauit Auctor. Prae aliis vero, placuerunt nobis quae de studio iuris Romani chronologico scripsit, atque cum voluptate legimus, quae cum de emblematibus Triboniani, tum de vindice et vade erudite disputauit. Sed ponamus titulos libellorum: I. de fide, eiusque iure in vsucapione et praescriptione. II. de falsa probatione processus prouocatorii ex iure Romano, III. de errore circa Titulum eiusque effectu in vsucapionibus et praescriptionibus. IV. de principio cognoscendi emblemata Triboniani. V. de morae notione iuridica. VI. Vindex et Vas. VII. de infectis actionibus. VIII. Vindiciae legislationis Iustinianeae de mixto tempore computando ad Nouell. CXIX. c. VIII. X. de Philosophia iurisconsultorum Romanorum Stoica, in doctrina de corporibus eorumque partibus. XI. de studii iuris Romani chronologici diligentius excolendi necessitate. XII. Studii iuris Romani chronologici specimina quinque. XIII. Oratio in laudem Georgiae Augustae: cuius nos quoque partem fuisse olim, laetamur, nec obliuiscemur vnquam otium, quo tam suauiter nos in illa vrbe frui meminimus.

II.

II. Non sine animorum ardore [illegible] per a viris doctis Vindobonae contro- versia agitata fuit de nummi [illegible] in- tegritate, aliis eam [illegible] assere[n]- tibus, aliis [illegible] [illegible] ea[illegible]. [illegible], [illegible], a [illegible] hos in illis longius irae procedunt, et vt ait poeta,

[illegible]

Est nummus, [illegible], Imp. Vespasiani [illegible], [illegible] a posterio- re, in [illegible] aeneus, cu- ius in [illegible] apparet [illegible] foe- minae, [illegible] VESPA[illegible] A [illegible] LA[illegible] VAS . . . . . in [illegible], cuius in [illegible] area, [illegible] parte duae figurae [illegible] gi[illegible] [illegible] : adest nota S. C. [illegible] ter [illegible] [illegible], anno [illegible] C[illegible] pous Khel [illegible] e [illegible] hoc titulo [illegible] :

[illegible] S. R. I. [illegible] [illegible] [illegible]

 [illegible]

dem numis aeneis Numophylacii Hauriani (*).

Argumentis Vir Cl. vſus eſt his: ab ingenio Veſpaſiani abhorrere magnificam eiusmodi publico in aere maiorum obſeruantiam: (vid. Sueton. in *Veſp.* c. 12.) oris lineamenta non conuenire matri Veſpaſiani, quam, cum filius annos LX. natus imperium adierit, nec tam vegetam nec forte viuam quisquam praeſtiterit: nec mortuae memoriae numum dicatum eſſe, quia non DIVA appelletur: capillorum ſitum et capitis cultum non ornatui Auguſtarum eius temporis ſimilem eſſe: templi formam a reliquis illius aeui abhorrere, quae nec temere matronarum numis inſculpta ſint, quibusque vel tum epigraphe addita: ſtatuarum inepte ſedentium proportionem omnem eſſe neglectam: fabricam auerſae parti aduerſae minime reſpondere, figurarum omnium humili forma vix ex area promicante. His igitur collectis Vir Cl. numum hunc tanquam adulterinum reiicit. Sed ecce! poſt aliquot annos defenſorem ſat acrem ille nactus eſt. Prodiit enim Vindobonae liber hoc titulo:

Io.

(*) conſtat pagg. 38. 4.

Io. Ios. Nob. de Hauern — Dissertatio Apologetica, qua aenei et vnici Vespasiae Pollae numi, qui in eiusdem Musaeo hic Viennae adseruatur, antiquitas et integritas indicatur, euersis argumentis, queis ea in II. ad eundem epistola, hic loci typis euulgata, impugnauit Clariss. S. I. P. Iosephus Khell — (*)

Huius libelli auctor esse dicitur *P. Ios. Monsbergerus*, vir nobis quidem ignotus, sed, vt ex iis, quae disputauit, apparet, minime indoctus. Secutus vero est mores eorum, qui nefas putant, modeste ab aliis dissentire dissensusque causas humaniter exponere. Loquitur de *Manliana* et *Minoa seueritate*, de *rugis frontis*, de *censorio rigore*, de *asperitate*, quae in Cl. Khellii humanitatem non cadit, aliaque profert, quae nobis non placent, quaeque si expendimus, vix serio Auctor videtur appellasse Khellium virum, *qui tanquam primae magnitudinis sidus in coelo antiquario exsplendescat.* quam Latinitatem monachorum cucullo relinquere P. 3.

 pote-

(*) a. 1766. pl. 18. 4.

poterat. Nec debebat, profecto istis conuiciis virum eruditum lacessere homo Latinae elegantiae adeo imperitus
p. 9. vt etiam *de lubidine coream aliis nasum fingendi* loqui auderet: quas formulas, vt multas alias, e conuicio plebis Vindobonensis procul dubio arripuit. Hic igitur omnia conquirit, quibus ostendat vel ab Vespasiano ipso, et cum maxime creato Imperatore, vel
p. 134. si mauis a Muciano (Vespasiani duce), in ea pecuniae signatae multitudine, in faustis iis noui Imperatoris acclamationibus atque exsultantis militis populique plausibus et aureum procusum fuisse numisma, quo ad alia omnibus perspecta Vespasiani decora atque ornamenta etiam nobilitatis, tantopere a priscis quaesitae et aestimatae, splendor velut cumulus accederet. Hoc libello edito, isti animorum aestus non parum inflammati esse videntur censuris non humanissimis in schedis quibusdam, quae vernaculo sermone Vindobonae eduntur, propositis (*). Prodierunt etiam libelli alii quidam (**) vernacula

(*) *Gelehrte Nachrichten* part. V.
(**) in manibus habemus: *Antwort des Ver-*

vernacula lingua, quorum auctores nihil aliud ostendunt, quam se animum a partium studio minime liberum habere. Ipse Khellius nihil respondit, sed nova prioris libelli editione adornata typographum, (cuius sub persona ipsum Khellium latere dicunt) praefationem praefigere iussit, in qua Barthelemii, Schlaegeri et Zarillii litteras legimus, quibus viri rei antiquariae peritissimi se Khellio assentiri profitentur. Nos, licet vix certi aliquid pronunciare audeamus; cum non ipso numo tractato et examinato iudicium de illo ferre nolimus, atque etiam licet Monsbergerum omnia dixisse fateamur, quae a viro docto dici possent, nostrum tamen animum in Khellii sententiam propensiorem esse, non negamus.

II. *Artificem ea, quae sibi non conveniunt, fingentem poetae monitorem proponit*

Verfassers der von Hauerschen Schutzschrift die Münze der Vespasiana Polla betreffend, auf die neulich in die hiesigen Gel. Nachrichten von einem ungenannten Gegner darwider eingeruckte Einwürfe. 2. Schreiben an den Herrn Verfasser der gelehrten Nachrichten in Wien.

ponit — Beni. Gottl. Lavr. Bodenvs. Vitebergae, a. 1765. pagg. 38. 4. Vbique ſibi ſimilis eſt Vir Cl. vbique eandem ingenii elegantiam, lectionis copiam, iudicii ſolertiam oſtendit, quam aliquoties iam merito celebrauimus, gratulati Academiae Vitebergenſi doctorem, quo illa iure gloriabitur. Cuius lectione non parum delectati ſumus, hoc libello primum Auctor de neceſſitudine, quae picturam inter et poeſin eſt, exponit, aptis exemplis vbique, (modo ne Laocoontem ad Virgilii regulam ab artifice exſculptam eſſe dixiſſet) laudatis. Vt vero in amici perſona vel ipſa vitia placent et nos facile attrahunt, ita modo poeta ab artifice, modo hic ab illo corrumpitur. Quare vt moneat poetas amicorumque periculis commemoratis acuat, non ſolum vitia multorum artificum et poetarum commemorat, ſed etiam laudes eorum, qui feliciter illa euitauerunt, celebrat. Huius doctrinae initium facit a rebus diuinis et exempla profert tabularum, argumento ſacro indignarum. Primum defendit artifices, qui humana forma Deum exhibent, ita, vt ſegreganda eſſe omnia doceat, quae

Iouis

Iouis fabulae propria sunt. Transit deinde ad filium dei atque, inde a natalibus eius incipiendo et per partes vitae eundo, ostendit, quam ridicule peccauerint quidam artifices, quibus non meliora cecinit capitalis ille olim Graecus poeta, Cyrillus, Lipsiae. Tum ad imaginem Spiritus S. progreditur, ad formam Trinitatis, ad angelos, ad daemones, ad personas, e sacra historia petitas. Hic attinguntur ea, quae ad parentes generis humani, Cainum, Abrahamum Isaacum immolaturum, Mosen, Dauidem, ad quatuoruiros, qui res a Christo gestas memoriae prodiderunt, ad Mariam, ad discipulos et legatos Christi, ad martyres pertinent. Ipsa vero exempla, quibus sententias suas cum ex artium historia, tum e poetarum carminibus illustrauit Vir Cl. neminem poenitebit cognouisse.

IV. *Histoire des Amours de Chereas et de Callirrhoë, traduite du Grec avec des Remarques.* Parisiis, apud Ganeau, 1763. P. I. pagg. 276. P. II. pagg. 280. 8. Eximendus videtur huius versionis Auctor e famelica imperitorum interpretum turba, qui nulla litterarum

litterarum scientia tincti pessime de scriptoribus antiquis merentur. Esse enim in illo multarum rerum cognitionem, esse accuratam Graeci sermonis scientiam, tum ipsa versio, quibus Graeci auctoris narratio recte et eleganter expressa est, docet, tum animadversiones, quas adiecit, copiosae, ostendunt. De his agemus paulo post. Ipse quidem liber inscribitur Graece: Χαρίτωνος Ἀφροδισιέως τῶν περὶ Χαιρέαν καὶ Καλλιρρόην ἐρωτικῶν διηγημάτων λόγοι η. Huius libri codex diu latuit Florentiae, descriptus deinde ab Antonio Cocchio, concessusque Iacobo Philippo Dorvillio, qui Charitonis editionem luculentissimam dedit Amstelodami anno huius seculi L. commentario illustratam eruditissimo, quemque merito omnis Graecae eruditionis thesaurum appellamus. Hunc igitur librum in Gallicum sermonem vir quidam doctus transtulit, animadversionibusque instruxit non paucis. In his et caussas interpretationum exposuit, et, quae non satis peritum antiquitatis lectorem morari possent, explicuit, et adspersit alia, quae ad Graecum sermonem pertinerent: inprimis multa Gallice interpretatus est carmina

Graeca,

Graeca, ex Anthologia Epigramma-
tum depromta. Quibus in omnibus do-
ctrinam egregiam, copiosam, accura-
tam, recteque de litteris iudicandi fa-
cultatem ille nobis probauit. Cui non
placebit Auctoris iudicium de editioni-
bus in vsum Delphini (*) vix a Gallo
exspectatum? Quam recte et sine par-
tium studio de Harduini in priscos au- p. 180.
ctores et veram eruditionem conatibus,
consiliisque, quae in suis somniis
defendendis spectauit, calliditate di-
sputat! De Oliueto quoque ita iudi- p. 277.
cat, vt liberalitas viri non possit non pla-
cere. Eandem iudiciorum veritatem
in praefatione obseruamus, vbi de Dor-
villio, Paone, Burmanno et aliis sen-
tentiam suam dicit. De Censura An-
thologiae Latinae Burmannianae, in
Actis Erudit. Lipsiens. (**) a me, Klo-
tzio, quod nunquam negaui et pleri-
que nunc sciunt, propositae, quaeque
caussa fuit illius belli critici, quo Ilincos
intra

(*) p. 149. *On verra aisément, que je me suis écarté de l'edition du Dauphin, qui ne vaut absolument rien, comme la plupart de celles, qui ont été faites pour servir aux études de ce Prince.*

(**) a. 1759.

intra muros et extra peccatum eſt, cuiusque ſlamma nunquam erupiſſet, niſi Theologorum quorundam dictatoria ſuperbia, vt leuiſſime dicam, vtriusque partis animos exacerbaſſet, de illa igitur cenſura ita exiſtimat (*), vt Cl. Burmanno huius ſententiae liberalem modeſtiam conſiliique ſapientiam probatum iri ſperem.

V. *De veterum poetarum interpretatione, Diſputatio, quam d.* X. *Nou.* *1766. Praeſide* Chriſt. Adolpho Klotzio *defendit Auctor* Io. Georg. Meuſel, *Art. Mag. et Acad. Hiſtor. Gotting. Sodal.* Halae Sax. pl. 6. 4. Cum in recta poetarum lectione multum poſitum ſit ad iudicium noſtrum de eo, quod pulchrum eſt, quod rectum, quod decet, formandum, alendum acuendumque, vtilem operam ſuſcepit Cl. *Meuſelius* hoc libello ſcripto, quo, quomodo illa recte inſtituenda ſit, bene et luculenter docet. Nam et ipſe a natura ingenium

(*) *Vous trouverez une Critique tres iudicieuſe de cet Ouvrage. — Je l'exhorte (Mſr. Burmann) à faire uſage de celles (remarques) qui ſe trouvent dans cet extrait dans ſon ſecond volume de l'Anthologie.*

ingenium nactus est amoenum et elegans, et poliuit illud doctrina, vsu, lectione. Multo igitur studio collectas opes in hoc libello explicuit, quanquam virum honestum, candidum et bonum (nam hoc quoque nomine Meuselium amo) multo pluribus, quas alio die in lucem proferet, abundare quotidiano vsu facile cognoui, clarissimeque ostendit, instructum se esse omnibus iis, quae bonum interpretem perficiant. Quoniam autem in ea, quae nobis proposita est, breuitate, capita huius libelli repetere non libet, age, huc transferamus imaginem, quam Cl. Auctor delineauit, boni interpretis. "Sit il-„ le, inquit, mihi variis omnino litteris„ tinctus. Probe teneat, quid sit ve-„ rum, quid falsum, quid aptum, quid„ ineptum, quid pulchrum, quid de-„ forme, quid sublime, quid tenue, quid„ ornatum, quid simplex. Verbo, ve-„ ri pulchrique sentiendi et cogitandi„ facultate largiter imbutus sit. Cum„ veterum, tum recentiorum poetarum„ carmina praestantiora et probata se-„ dulo legerit eum, oportet. Si ipse car-„ minibus pangendis operam nonnul-„ lam dederit, eo pluris illum aestima-„

 verim."

„verim. Artium elegantiorum, pictu-
„rae, statuariae, sculptoriae, si non
„vsum, tamen regulas aliquantum cal-
„leat. Artificum optimorum certe mo-
„nimenta diligenter considerauerit, fa-
„cultatemque de iis iudicandi quandam
„sibi acquisiuerit, vt sensus pulchri et
„venusti eo fortior et acrior animo il-
„lius insit. Historiam veterem, eius-
„que potissimum partes, quae tempus
„μυθικὸν ac populorum priscorum opi-
„niones, consuetudines, caerimonias,
„mores complectuntur, probe intelligat.
„Artem etiam criticam non leuiter at-
„tigerit. Ante omnia vero illi adsit
„optima viuendi ratio ex vario homi-
„num vsu et consuetudine petita." Non vanis argumentis ducti speramus, fore, vt, hanc ipsius Viri Cl. imaginem esse, Germania olim lubenter fateatur.

VI. *Abbildungen und Lebensbeschreibungen berühmter Gelehrten von* Iohann Matthias Schroeckh, *Professor der Philosophie: des Zweyten Bandes Erste und Zweyte Sammlung. Leipzig. 1766. pagg. 280. 8.* Quantum nos harum Vitarum lectio delectauerit, professi iam sumus alio tempore, atque omnem illam delecta-

delectationem, quam sola recordatio amicitiae veteris, quae mihi cum Viro doctissimo est, gignere poterat, facile nos solius libri praestantiae vnice debere animaduertimus. Neque enim ab excellentissimo *Schroekhii* ingenio aliud quidquam exspectari poterat, quam quod elegans esset et venustum, quod accuratae eruditionis documenta haberet luculenta, quod dicendi libertatem eumque animum spiraret, qui multarum litterarum scientia instructus a partiumque studio remotus suo quamque rem momento ponderat. Huius voluminis *prima* pars pertinet tota ad Martinum Lutherum, cuius de litteris, de libertate sentiendi, de toto hominum genere merita magna nemo forte Nostro disertius enarrauit. Certe non recordor eorum, qui de Luthero exposuerunt, quorum non exiguus numerus est, quenquam aut suauius animum meum commouisse, aut acriori attentione a me fuisse cognitum. Attentos vero inprimis nos retinuit prudentia Viri Cl. qui non omnia, quae de Luthero sciret, effudit, aut ad minutias descendit cum iis, qui nec poculum viri magni silentio praetereundum esse censerent,

 sed

sed ea tantum explicuit, quae ad ingenium animumque illius cognoscendum facere, et ad historiam liberatorum superstitione et sacrificulorum stultitia saeculorum pertinere viderentur. Quae quidem omnia licet, vt dixi, non sine admirabunda diuinae prouidentiae et grata veneratione cognouerim, de quibusdam tamen ab amicissimo Auctore dis-
p. 12-13. sentire me memini. Neque enim credo, Lutherum ad papae Romani intolerabilem potentiam oppugnandam initio statim solius veritatis amore superstitionisque odio mero accessisse, animumque gessisse ab omnibus aliis consiliis ita liberum, vt in solis erroribus euertendis defixus esset, nihil spectaret aliud, nihil speraret, sed postea demum, negotio hoc longius progresso, nihil aliud, quam generis humani salutem
p. 89. doctrinaeque puritatem, spectasse. Exosculati vero fuimus Auctorem, non omnia doctrinae capita a Luthero ita emendata esse professum, nihil vt corrigendum adhuc restet. Semper enim a Luthero initium tantummodo factum fuisse credidimus magni operis, non nisi post multorum annorum laborem perficiendi a pluribus, qui in laudabi-

lis

his negotii societatem veniant, ab illo relictis, aut ab aliis receptis etiam, non paucis papalis superstitionis partibus, sacerdotumque potentia, cuius antiquam possessionem tum iis eripere totam non licuit, non satis arctis legibus circumscripta. Longe adhuc abest doctrina Christiana ab illa simplicitate amabili, qua Apostolorum tempore nituit, quaque illi reddita, tum demum de reformata religione hominum generi gratulabimur. — Sed de his et aliis cum Auctore, quam cum lectoribus disputare malo. Amat enim ille, praeter alias virtutes, modestiam, amat libertatem, in dissensu ferendo non exiguam humanitatis partem positam esse censet. Horum forte maior pars nefas esse censet, quidquam audire, aut dicere, quod non ab auis patribusque acceptum, aut e cathedra Lutheri Vitembergae dictum sit. — *Altera* pars huius voluminis novem complectitur doctorum hominum vitas. Nos eorum nomina adscribemus. I. Benedictus Arias Montanus. II. Simon Episcopius. III. Nicolaus Boileau Despreaux. IV. Iohannes Fabricius. V. Nic. Hier. Gundlingius. VI. Io. David Koehlerus. VII. Chri-

Christian Frieder. Boerner. VIII. Philippus Doddridge. IX. Simon Pelloutier.

VII. *Io. Conradi Fuesslini* Dissertatio de Alexiade Annae Comnenae, qua Graecarum litterarum cultores et professores ad nouam huius libri editionem curandam et publicandam exstimulantur. Turici ap. Heidegger. 1766. pagg. 36. 4. Prodiit Alexias, siue historia ab Anna Comnena, Nicephori Bryennii Caesaris, vxore, foemina illius aetatis doctissima, de rebus gestis patris Alexii Imp. reliquisque, quae eo tempore acciderunt, inde ab anno MLXIX. vsque ad a. MCXVIII. libris XV. scripta, vt alias editiones taceamus, opera Petri Possini, Tolosani, superioris seculi a. LI. Parisiis in lucem. Sed et raro haec editio occurrit, et ob varias caussas nouam virorum doctorum curam postulat. Hinc Vir Cl. hunc libellum scripsit, vt, quicquid est vbique eruditorum hominum, ad nouam Alexiados editionem adornandam inuitaret et alliceret. Cuius suae inuitationis tria fecit capita: primo argumentum Alexiadis exponit rerumque cum copiam

piam tuam grauitatem indicat, quae ea historia continentur: altero fata libri explicat: tertio, quid agendum sit editori, docet. Equidem fateor lubenter, multa continere illos libros, quae ad historiam belli primi, a Christianis contra Saracenos de recuperanda terra vt aiunt, sancta sat stolide gesti, incitantibus cachinnantibusque clanculum papis Romanis, qui regum imbecillitate misere abutebantur, pertinent, multaque, vnde, quae Christianae religionis eo tempore fuerit facies, appareat; sed nec negari posse puto, valde indulsisse Annam amori erga patrem, quem licet non omnibus iis conuitiis, quo eum Latini scriptores proscindunt, dignum existimemus, tamen nec talem iudicamus, qualem filia descripsit. Inde, qui ad hanc historiam edendam illustrandamque forte commentariis suis accesserit, diligentissime narrationes Annae examinabit lectoresque, aliorum scriptorum testimoniis allatis et comparatis inter se, monebit, vbi fides habenda sit Annae, vbi odio, amori, partium studio plus, quam veritati, dedisse videatur.

VIII. *D. Iohann Heinrich Schulze — Anleitung zur ältern Münzwissenschaft, worin die dazu gehörigen Schriften beurtheilet, und die Alterthümer aus Münzen erläutert werden, zum Druck befördert von M. Iohann Ludewig Schulze, der griechischen und morgenl. Sprachen ordentl. Lehrer auf der Friedrichs - Universität.* Halae Sax. a. 1766. plagg. 15. 8. Magnam fuisse in Schulzio nostro, quem ob egregiam et copiosam eruditionem merito in ornamentis suis numerauit olim hodieque numerat Halensis Academia, rei nummariae scientiam, cum alia docent, quae scripsit, tum luculenter ostendit *Numophylacium Schulzianum*, a Michaele quodam Gottlieb Agnethlero, Transiluano, editum (*). Quare, non sine vtilitate se hunc libellum cognituros esse, quicunque harum litterarum studio teneantur, facile intelligere poterunt. Est vero ille iam anno huius seculi trigesimo octauo a beato auctore eorum in gratiam vsuumque scriptus iuuenum, qui ipso magistro rem nummariam antiquam addiscere cuperent, editus nunc in lucem e schedis parentis

(*) Halae 1746. 4.

tis a digno tanto patre filio plurimarumque patris virtutum haerede, Ch Schulzio, qui non iniucundam hoc labore suscepto perfectoque antiquae eruditionis studiosis operam praestitit. In prooemio traduntur varia, quae, priusquam ad numorum ipsorum studium accedamus, cognoscere vtile est et necessarium. Inde tradita numorum origine resque monetariae apud Romanos conditione descripta, ii libri indicantur, quibus res numaria antiqua explicatur, ita, vt, quid de quoque iudicandum sit, addatur. Vtraque tum numorum facies, aduersa et auersa, consideratur, numophylacii condendi ratio exponitur, differentia metallorum et diuersa magnitudo numorum commemoratur et de typis eorundem agitur. His adduntur quaedam de numis restitutis et incusis. In *cap. I.* datur deorum, quorum in numis imagines apparent, descriptio, quae cuique tributa symbola complectitur. His adiunguntur numi aeternae memoriae Imperatorum, deorum in numerum post mortem relatorum, dicati. Sequuntur deinde symbola Virtutum aliarumque rerum, quibus formam,

 quae

quae in oculos incurrit, plerumque humanam, in numis tribuere solebant veteres, vt Hilaritatis, Nobilitatis, Pacis, vt complura taceamus alia. In *cap. II.* discimus, quomodo exhibeantur in numis sacerdotes, augures inprimis, Quindecimuiri sacris faciundis et Septemuiri Epulones. Attinguntur quoque, quae ad templa, aras, sacrificia, vota, et ludos publicos pertinent. *Cap. III.* spectat ad magistratus et reinpublicam. Hinc primum explicatur ratio magistratuum, quorum fit in numis mentio, tum legum datur index, quarum iidem habent memoriam. Eadem breuitate, quae non parum hunc libellum commendat, in *Cap. IV.* antiquitates militares enarrantur. Huc pertinent signa militaria, nomen summi Imperatoris, praemia fortitudinis et adlocutio militum. De valore pecuniae veteris Auctor in *Cap. V.* exponit, cui tamen de iis, quae de assis diminuti pondere dicit, assentiri nequeo. Wachteri enim sententiae me accedere iam alio loco professus sum. Denique in *Cap. VI.* quo pretio hodie antiqui numi commode erui possint a viris doctis, doctissimus olim Schulzius docet.

IX.

IX. M. Abrah. Kallii, *Reg. Acad. Hafnienf. Bibliothecarii, Specimen novae editionis sententiarum Theognidis Megarenfis, poetae antiquiſſimi.* Gottingae et Gothae, ap. I. C. Dieterich, 1766. plagg. 6. 4. Multis mendis, etiam post egregias Vineti, Camerarii, Seberi, aliorumque emendationes Theognidem laborare obferuauit Cl. Kallius, in quo magnam Graecarum litterarum fcientiam, optimum antiquae eruditionis ftudium et indefeffam diligentiam cum multis aliis bonis viris laudaui femper amauique. Corruptis vero his locis, cum codicum non effet copia, hanc medicinam facere ftuduit V. Cl., vt, quum plurimos Theognidis verfus intelligeret ab aliis veteris Graeciae fcriptoribus fuis libris infperfos effe, horum magnum numerum excerperet. quo modo non exiguam variarum lectionum copiam nactus eft. Harum recenfionem addet Vir Cl. nouae Theognidis editioni, quam parat, cuiusque non leue defiderium hoc fpecimine edito exci-tauit. Praemittet illi hiftoricam differtationem de Theognide, eiusque aetate et fcriptis variis: "Cum autem „ pauca, inquit, de poetae noftri vita „ apud „

„apud probatae antiquitatis ſcriptores „memorata reperiantur, fabulas quo„que, quas de Theognide temere con„finxerunt recentiores quidam, refu„tare conabimur. Megara Attica, non „Sicula, noſtri pariam fuiſſe demon„ſtrabimus, Harpocrationemque tur„piter falli, qui Platonem alteri ſen„tentiae fauiſſe credidit. Contextus „inprimis hiſtoriam componere ple„namque codicum, tam manu ſcripto„rum, quam impreſſorum, notitiam „dare conabimur. Cμωνύμους etiam „viros, foeminasque illuſtres recenſe„bimus circiter triginta." Diſſertationi addentur, quae praecipuis poetae editionibus praefixae ſunt, praefationes: ipſa vero Theognidis verba ad exemplum editionis Lipſienſis anni 1620. deſcribentur: addetur noua Latina verſio, ſubiicienturque Graeca Camerarii ſcholia, vna cum Seberi, Weitzii, Sylburgii et Commelini notis integris: ex reliquorum commentariis ſelectis tantum praecipuis. His quoque ſuas Vir Cl. animaduerſiones interſeret, fragmenta colliget poetae, indicemque verborum Theognidis annectet copioſiſſimum. Hactenus de conſilio Aucto-

ris,

ris, qui in hoc, quem in manibus habemus, libello primum indicem exhibuit editionum Theognidis talem, qualis exspectatur a viro erudito, deinde subiecit particulam Theognidis inde a I. vsque ad XXXVI. versum, tanquam specimen futuri operis. Hoc vero tantam Graecarum litterarum scientiam praefert, vt neminem fore credamus, qui ab alio, quam a doctissimo Kallio Theognidis editionem nouam exspectare et accipere malit.

VI.

Elogium Guil. Hogarthi. (*)

Nouo picturae genere artem suam locupletauit, nomenque et patriam illustrauit Guil. Hogarthus, quem Philosophum pictorem appellandum esse arbitramur, cuiusque licet opera nomen auctoris certissime tradituri sint immortalitati, neque nos tamen laudes clarissimi artificis omittemus. Natus ille fuit

(*) vid. *Gazette litteraire de l'Europe.* 1765. et *London Magazin.* 1766. p. 154.

fuit anno superioris seculi nonagesimo octauo Londini patre, tenues qui a fortuna opes obtinuerat, ideoque in disciplinam ab eo traditus artifici, qui argenteis stanneisque vasis varias figuras ornamentaque insculpere solebat. Hanc artem, qua exercenda ipse etiam victum quaesiuisse videtur, postea quam addiderat, picturae lineari, cuius a magistro rudem institutionem acceperat, maiorem operam dedit, coloresque mox lineis induxit, ingenii non vno documento edito, nec vanis futurae artis speciminibus datis. Vel illud ex ea tabula apparuit, qua, amici ope carcere, in quem ob exiguum aes alienum coniectus erat, emissus, foeminam, cui illud infortunium debebat, admodum ridiculo et turpi habitu proposuit. Sed, quibus famam consecutus est, atque ciuium oculos in se conuertit, primae tabulae, seuerioris argumenti fuerunt. Pinxit enim piscinam Bethesdanam, atque, cum Christi benignam et placidam indolem, tum aegrotorum miserias, bene expressisse dicitur. Mosen etiam ad filiam Pharaonis allatum exhibuit pluresque fecit argumenti historici tabulas. Sed mox ad aliud picturae genus, in quo,

quem

quem imitaretur, habuit nullum, transiit, comicisque tabellis ita inclaruit, vt quod Ariſtophanes, Plautus et Molierius fabulis ſuis, ipſe picturis efficere videretur. Quod ad picturae genus inuitatum illum fuiſſe aiunt noua carminis iucundiſſimi editione, quo Samuel Buttlerus „*ſimulatae religioni laruam detraxit et perduellium ſcelera liberrime exagitauit* (*), vt tumulo illius inſcriptum eſt, cuique Hogarthus picturas addere iubebatur. Hinc mores pingere inſtituit ciuium: quae ridicula iudicaret, penicillo notauit, vt Iuuenalis et Flaccus ſtilo notauerunt eadem: honeſtiſſimum ſuae arti et praeclariſſimum munus commiſit, morumque et vitiorum emendatione ſuſcepta picturam philoſophiae morum magiſtram et interpretem reddidit. Harum, quas commentus erat et delineauerat, tabularum non paruus numerus deinde radio ſcite et apte in aheneis laminis inſcriptus eſt, vnde illae ductae adumbrataeque in manus hominum peruenerunt. Quod ſex tabulis conſtat, opus meretriciam vitam (**) ita exhibet, vt puella ſemel delinita vitii illecebris ſenſim ad omnia

flagitia

(*) Hudibras. (**) *Harlot' Progreſſ.*

flagitia abripiatur, misera tandem morte extincta. Sequebatur vita hominis dissoluti (*), octo tabulis absoluta, quibus omnes calamitates et miseriae exhibentur, quae vitam dissolutam comitari solent. Pigritiae et assiduitatis fructus duodecim tabulis proposuit, ita, vt duo iuuenes in scenam produceret, mercaturae simul operam vitamque suam addicentes, quorum alter honestati virtutique deditus heri beneuolentiam nanciscitur, et filia eiusdem in matrimonium accepta tandem summus Londinensium ciuium iudex constituitur; alter piger et libidinosus, cum latronibus et meretricibus societatem init, vt, vnde voluptatibus satisfiat, habeat, rapit et furatur, mox ab ipsis meretricibus ad iudicem defertur, atque ab illo altero, amico pristino et sodale olim, lacrimantibus oculis ad mortem damnatur. His in tabulis ita ab Hogartho argumenta expressa sunt, vt viua omnia et spirantia intueri credamus. Atque eiusmodi tabulas pinxit ille plures. Equidem recordor me vidisse sex, quibus matrimonii (**) ineundi ineptam et

(*) *the Rake's Progress.*

(**) *Mariage à la mode.*

et ventosam rationem pulchre adumbrauit. Memini me audire, multa defuisse Hogartho, quae praeclarum pictorem perficiant. Delineasse dicebant eum non semper accurate, nec rerum pingendarum iustam conformationem lineis ratione legitima comprehensam vbique obseruasse, lumen et vmbras eundem mediocriter custodiuisse, vim colorum non satis intellexisse, in dispositione etiam peccasse. Sed hos defectus addebant iidem Hogarthum primum suppleuisse diuitiis ingenii, in inueniendo vberrimi, concipiendisque visionibus, quas phantasias vocant, florentis, varietate rerum, mira arte ridiculum, quod vitiis inest, exprimendi, et aptissima cuique argumento πάρεργα addendi, facultate denique animum pingendi, et sensus hominis exprimendi, quos Graeci appellant ἤθη. Hac arte ille proxime ad naturam et veritatem accessit, hominumque animos ita mouit, vt tabula, licet tacens opus, in intimos affectus penetraret ipsamque superaret vim dicendi. Conspexisse aiunt aliquem vehementius caedentem equum flagris aurigam et misericordia ductum dixisse: nunquam

 pro-

profecto furcifer, Hogarthi tabulam vidisti! Pinxerat enim Hogarthus varios, qui animalibus in Anglia tolerandi sunt, cruciatus. Ars tamen pictoris colores apte vsurpantis maxime laudatur in tabula, qua celebrem comoedum, Garrik, Richardi III. partes agentem, exhibuit. Humilia etiam secutus, tabernis cereuisiariis et aliis pictis, humilitatis summam gloriam adeptus est. Immo, vt Bupalus olim et Anthermus, clari sculptores, Hipponactis foedam imaginem ridentium circulis proposuerunt, ita Hogarthus, a Carolo Churchill versibus lacessitus, poetam ita puniuit, vt in tabula illi vrsi faciem tribueret. Sed praestantia ingenii, maiorum rerum capacis, elucet ex opere, quod anno L. de pulchritudine (*) edidit cuiusque argumentum notius est, quam vt nostra explicatione egeat. Licet enim ingenio suo aliquantum indulserit auctor, licet magis, quid sibi videretur pulchrum, quam quid esset vere pulchrum, tradiderit, insunt tamen in illo opere tot nouae et verae sententiae, vt, qui attente illud perlegerit, multa, quibus ingenium alatur

(*) *Analysis of Beauty.*

alatur et acuatur, se inuenisse, non possit non fateri. Obiit Hogarthus nuper anno sexagesimo, quarto natus annos LXVII.

VII.

Elogium Eduardi Corsini.

Multum nuper morte Corsini amisit Italia, quam et voce et scriptis ille illustrauit ornauitque: multum amiserunt litterae, praeclarissimo ingenio exstincto. Nihil enim illius operibus doctius est, elegantius, vtilius, nec alium quenquam, praesertim hac tempestate, qua misera est verae eruditionis in illa tot olim doctissimis viris florentissima terra facies, Italia longo abhinc tempore habuit, qui diligentius scrutaretur antiquitatis memoriam sollertiusque explicaret. Qua quidem in re hanc rationem Vir nuper doctissimus tenuit, vt eos fontes accederet, e quibus historiae cognitio, nescio an certius saepe quam e libris, hauritur, id est, lapidum antiquorum titulos legeret et examinaret, reique numariae antiquae operam daret assiduam. Huic

ſcientiae addidit, quam alterum hiſtoriae oculum dixeris, Chronologiae ſtudium, cuius ope verum hiſtoricum non carere poſſe recte iudicauit, licet nec imbecillitas plerorumque nec ignauia coniunctas cum ea moleſtias vincere audeat. Hoc igitur modo cum animum plurimarum rerum ſcientia impleuiſſet, ſemperque recte de rebus antiquo aeuo geſtis iudicandi ſibi facultatem comparaſſet Corſinus, quid mirum eſt in illius libris ſummae eruditionis veſtigia vbique apparere? Nullus vnquam, qui hiſtoriam antiquam recte cognoſcere cupiat, carere poterit illo maxima diligentia ſingularique doctrina confecto opere, quod *Faſti Attici* inſcribitur, in quo Archontum Athenienſium ſeries, Philoſophorum aliorumque illuſtrium virorum aetas, praecipuaque Hiſtoriae Atticae capita, per Olympicos annos diſpoſita, deſcribuntur. Eandem diligentiam praeferunt *Diſſertationes Agoniſticae* IV. quibus Olympiorum, Pythiorum, Nemeorum, atque Iſthmiorum tempus eruitur et demonſtratur. Quam praeclare verſatus fuerit in titulis antiquis explicandis pluribus libris teſtatus eſt Vir Cl. Nam

et

et *Inscriptiones Atticas* e Maffei schedis edidit, Latina interpretatione breuibusque obseruationibus illustratas: et marmor, quod dicitur, Sanduicense, aliosque lapides interpretatus est egregie sex libellis, qui additi sunt immortali operi, quod *de notis Graecorum* scripsit, quoque vocum et numerorum compendia, quae in aereis marmoreisque Graecorum tabulis obseruantur, indicauit. Merito appellauimus opus immortale, quod Gruteriano et Reinesiano adiunget omnis posteritas. Praeterimus alios libellos minores, quos de nummis quibusdam antiquis, de praefecto vrbis, de Burdigalensi Ausonii Consulatu, edidit, maxime eos laudatos ab omnibus, qui recte de litteris nostris iudicant. Sunt enim addenda quaedam de iis, quibus Philosophiae doctrinam exposuit. Fecit hoc *Institutionibus Philosophicis*, *Mathematicis*, *atque Metaphysicis*. nam Geometriam et Metaphysicam peculiaribus libellis tradidit, qui, nisi alias scripsisset, vix ad exteros pertulissent, nec tradituri essent posteris nomen Corsinianum. Vt enim mittam, istis compendiis philosophicis semper noua succedere priscorumque

memoriam obliterari sensim, Corsinus, plus fere, quam par est, antiquorum Philosophorum auctoritati, quae summa est in scholis pontificiorum, tribuit. Venustioris Philosophiae documenta habet editio libelli Plutarchi *de placitis Philosophorum*, cui vitam Plutarchi, interpretationem Latinam et duas dissertationes addidit. His igitur tot tamque egregiis libris editis nemini mirum videbitur, summam famam gloriamque sibi comparasse *Corsinum*, et nunc omnes vna voce iudicare, viri eruditissimi morte magnam iacturam fecisse litteras. Illa accidit anno superiore die XXX. Nouembr. Natus vero erat vir optimus anno huius seculi II. in oppido ducatus Mutinensis. Institutus educatusque a Patribus Piarum Scholarum, huic etiam collegio nomen dedit, cuius iussu Florentiae Philosophiam docuit, ornatus deinde munere professorio in Pisana Vniuersitate, atque ad summum primumque sui ordinis locum euectus. Floruit doctissimorum hominum fauore, Passionei, Quirini, Maffei, Muratorii, vsus inprimis amico Polito, Professore Pisano: Philosophiam, historiam, et litteras humanitatis cum

ore,

orum scriptis, iuuentuti tradidit: nec minorem modestiae, humanitatis et probitatis, quam eruditionis et ingenii laudem reliquit.

CONSPECTVS LIBRORVM

QVORVM CENSVRAE

VOLVMINIS III. PARTE IV.

CONTINENTVR.



I. IN-

I. INDEX LIBRORVM LIBELLORVMQVE, QVI IN VOLVMINE III. RECENSENTVR.

A.

B.

C.

H. *Hauern*

H.

I.

K.

L.

M.

P.

R.

S.

Schroeckh

Traité

V.

W.

II. IN-

II. INDEX RERVM MEMORATV DIGNIORVM.

A.

B.

F.

G.

H.

Hem-

S.

T.

V.

Volta-

W.

CORRI-

CORRIGENDA IN P. III.

p. 237. l. 4. l. *ac* pr. *ad*. p. 242. l. 4. l. *necvis*. p. 243. l. 1. l. *ortam*. p. 249. l. 17. l. *primitus*. p. 253. l. 21. l. *examinetur*. p. 262. l. 19. deleſe. p. 283. l. 9. ordo verborum turbatus eſt. lege: *ac triſtem virtutisque q. n. w. b. ſ. c. ſt. ad Gratiarum a. c. e.* p. 288. l. 10. l. *color, dedicaſſe.* p. 299. l. 14. l. *illam*. p. 302. l. 21. l. *Ageſander* pro *Agelades*. p. 303. l. 9. l. *didici*. p. 309. l. 22. l. *ideoque haec*. p. 314. l. 7. l. *cum* pr. *eidem*. p. 316. l. 10. l. *refutatur* pro *revocatur*. p. 346. l. 11. l. *emendando* pr. *commend*.



14076

